

ICONOGRAPHIA
CRINOIDEORUM

IN

STRATIS SUECIÆ SILURICIS

FOSSILIUM

AUCTORE

N. P. ANGELIN

OPUS POSTUMUM EDENDUM CURAVIT

REGIA ACADEMIA SCIENTIARUM SUECICA.

CUM TABULIS XXIX.

HOLMIÆ,
SAMSON & WALLIN.
1878.

PRÆFATIO.

NICOLAUS PETRUS ANGELIN natus est Lundis die 23 mensis Julii 1805 patre TUVE ANGELIN, fabro ferrario, et matre BRIGITTA CHRISTINA RISBERG. Patre mature amisso initiis artium, quibus ad humanitatem præformari solet pueritia, cura institutus matris et maternæ aviæ, nimium ut narratur puero indulgentis, scholæ cathedrali urbis nataliciæ traditus est, cui tunc summa cum auctoritate præerat ANDREAS TEXTORIUS, et post eum, non minore laude, JOHANNES HENRICUS SELDENER. Quorum intelligentissimæ curæ tam egregie respondit puer ingenii docilitate et emergendi cupiditate, ut intra paucos annos, insciens fortasse, ut aliquando mos erat, ad Decanum Facultatis Philosophicæ Universitatis mitteretur, qui quid doctrina valeret cognosceret et liberisne studiis esset maturus exquireret. Sic evenit ut Noster, quum sedecim modo annos exegisset, in examine legitimo laude dignus judicatus Civitati Academicæ Lundensi adscriberetur, JONA BRAG Rectore, Astronomiæ Professore. Accelerato itaque per egregiam disciplinam curriculo spatia academica ingressus litterarum classicarum studio totum se dedit, magna spectans, scilicet ut honores magistræ intra paucos annos adipisceretur. At secus accidit. Commentatiuncula enim, quam latino sermone conscripserat, non eximia qua sperarat laude ornata, censorum severitas, quam pro iniquitate temere arguebat, juveni ad altiora tendenti tantam movit bilem, ut susceptam inde offensionem ne post multos quidem annos prorsus deponeret. Quin ea, cui jam inde a puero assueverat contumacia, examini academico numquam se subjicere statuit. Quodque statuerat ita tenuit, ut per sex et triginta annos numero discentium adscriptus permaneret. Adolescentem autem juvabat exuere vincula et sine cortice natare; placuit ver ætatis agere jucundum. Pelliciebant eum nobilitate ac lepore humanitatis artes quales apud gentes florent recentioris ævi, attrahebant eruditorum de rebus venustis variæ subtilitatis doctrinæ, delectabant etiam philosophorum abstrusiores disputationes. Erat enim in eo capax ingenium; discenda celeriter arripuit, quæque didicerat firmiter in animo sederunt. Accedebat quod amicorum circulis ingenitam quandam hilaritatem libere offerebat, jocis abundantem et facetiis sæle persparsis, quocirca minime mirum est, gratia apud commilitones eum multum valuisse. Contigit etiam, quum ad suam tutelam modo pervenisset, ut a matre mortua mediocris ei cederet hereditas. Quæ quum ei numerata esset, iter faciendi opportunitati non dubitanter cedens peregre abiit. De hoc itinere et quo duxerit Nostrum hodie nihil constat, nisi quod narrant nonnulli eum Angliam et Scotiam, vidisse. Reducem philosophia reposcit. Erat vero illo tempore Universitas Lundensis perquam nobilis et celebrata naturæ investigatorum eximio delectu. Regnabant in rebus herbariis C. A. AGARDH et E. FRIES; opus magnum, Faunam animalium vertebratorum Scandinaviæ condere coeperat SVENO NILSSON; insectorum copias ordinabant FALLÉN et ZETTERSTEDT; primus apud nos anatomiam comparatam explicabat B. FRIES; zoologiæ obscuriora sibi grata sumserat C. J. SUNDEVALL. Et talium virorum nomina, exempla, familiaritas quantum ad animos adolescentium alliciendos valeant, quis est qui nesciat? Itaque Noster, ingenito amore, velut novo ardore, incensus, ex umbraculis philosophorum otioque in solem atque aciem prodiit. Artem herbariam toto animo amplectebatur, Scaniæ Floram naviter atque sagaciter perlustrabat, plantarum species rarissime visas detexit, in omnibus excellens industria ut æqualibus mira, ita posteriorum memoriæ commendata nomine Angelinæ, quo Discomycetum genus ornavit ELIAS FRIES. At natura alio ferebatur, ad illa studia, quibus

tum nuper faces prætulerant HISINGER, geologiæ patriæ decus, WAHLENBERG, interpretes LINNÆI, et DALMAN, Trilobitarum egregius investigator. His denique studiis vitam dicavit Noster. Videbant eum jam tricenarium in urbe natali delitescens, angustiis laborantem, fossilium immensas moles sub parvis penetibus indefesso labore conquirere, lustrare, perspicere. Duriter ac moleste vitam egit solitariam et paucorum consuetudine interpellatam, hieme incredibili in scholis habendis assiduitate e varia et multiplici doctrina lucrum faciens, ne æstate viaticum promptum desideraret. Qua prudentia obtinuit, ut loca petrefactis scatentia Sueciæ varia natura et loco disjunctissima iterum iterumque explorando museum suum majoribus in dies incrementis locupletaret. Ideo in mentem ei venit consilium opes illas eo modo in usum vertendi, ut series, inscriptas: N. P. ANGELINI Museum Palæontologicum Sueciæ^{*)}, venales ederet speciminum selectorum et rite determinantum, Lethæam nostram illustrantium. Sperabat fore ut quingentas vel sexcentas tali modo paullatim distribuere liceret species diversas, tertia parte ante eum ignotas; emissa autem anno 1837 prima et unica semicenturia, incepto destitit. Ad majores enim sese jam tum comparabat conatus, ad confectionem libri iconibus ample illustrati cunctam Palæontologiam Sueciæ amplectentis. Quæ res quam sit per se magna et late patens nemo nescit; quam vero fuerit Nostro immensi laboris et difficultatibus maximis repleta neminem fugit qui consideret, specimina describenda quidem aut in auctoris museo in promptu fuisse, aut quotidie fere affluxisse, præsidia vero et adjumenta, ea præsertim quæ ad imagines delineandas perpetuo desiderentur, aut longe remota aut magno emenda fuissè pretio. Mirandum igitur est, non tam præparationem hujus operis longi temporis fuisse, quam quod auctor id ad finem quodam modo perducere potuit. Prodiit enim tandem anno 1851 Palæontologiæ Sueciæ partis primæ fasciculus primus, Trilobitarum continens 73 species descriptas et in tabulis 24 delineatas maximam partem usque ad illud tempus ignotas. Quod propositum quum non sine maxima et honestissima contentione peregisset, fortuna demum Nostro arridere incipit. Commendatione Academiæ Scientiarum Sueciæ subsidium e publica pecunia, duas partes impensæ in librum editum factæ æquans, anno 1852 ei datum est, eadem vero summa anno sequente fasciculo secundo operis edendo addicta. Quem quum anno 1854 emisisset, ducentas propè continentem Trilobitarum species cum tabulis 18, viaticum publicum ei attributum est, ut musea externa iterum visitaret; quarto vero anno, 1855, præparando operis fasciculo tertio major etiam summa adjudicata. Neque erat profecto quod aut Academiam commendationis aut auctorem studii sui poeniteret. Clarissimus ille BARRANDE, judex in his rebus facile summus, operi inchoato tantum tribuit ut, quod inter omnes constat, librum^{**)} ejus unius causa conscriberet de mira illa similitudine et consensu formationum siluricarum Bohemiæ et Scandinaviæ. Crescebat in dies auctoris apud eruditos fama. Anno 1857 Universitas Breslaviensis magistræi honoribus quinquagenarium decoravit, — iisdem honoribus qui domi per triginta annos frustra ei patuerant; Cancellarius Universitatis Lundensis in numerum Docentium eum recepit; Academia Scientiarum eum in locum JOHANNIS AUGUSTI WAHLBERG exploratoris Africani demortui cooptavit. Neque minus a popularibus quam doctorum Academiis suspiciebatur. Mandarunt enim ei anno 1856 provinciæ suæ natalis Societates ambæ Oeconomicae, ut terram Scaniæ, soli fertilitate ac varietate insignem, tabula describeret geologica. Quod negotium, stipendio haud tenui et auxiliorum copia sublevatum, ita gessit, ut anno 1863 tabulam atque descriptionem maxima ex parte impressas haberet, quas nunc postumas edendas curarunt eadem Societates. Factum est verò, dum in his rebus summa cum industria versatur, eodemque tempore fasciculum operis tertium commentatur, ut comitiis Regni anno 1863 habitis rogatio acciperetur Museum Regni Rerum Naturalium amplificandi nova provincia, res quas vocant palæontologicas amplectente. Quod consultum quum a Rege comprobatum esset, Academia Scientiarum, cui summa rerum Musei commissa est, custodiam novæ provinciæ ANGELINO obtulit, tum quinquagesimum nonum annum agenti, et ante quatuor annos in Universitate Lundensi Professoris adjuncti munus sustinenti. Ille vero ad novum munus capessendum Lundis

^{*)} Vide: STEENSTRAUP, in Krøyer, Naturhistorisk Tidsskrift, 1:e Række, Bd 2, p. 307.

^{**)} Parallèle entre les dépôts Siluriens de Bohême et de Scandinavie. Abhandl. d. K. Böhm. Ges. d. Wiss., V. Folge, Bd. 9. Prague 1856.

Holmiam paullo post migravit. Nec poterat exoptatior locus ei obtingere. Salarium commendatione Academiae amplificatum est reditu in omnem vitam ei assignato, quo copia locupletissima quam possidebat fossilium redempta est provinciae ipsi quae ei commissa erat; habitare ei licuit inter medias illas res, in dies mirum quantum auctas numero et praestantia, quibus quam maxime oblectabatur; bibliothecam locupletissimam et quaelibet studiorum praesidia ad manum habebat; superiorum et collegarum benevolentia quovis negotiorum onere levabatur; nihil denique aliud jam ejus erat agere nisi quod ipse antea per multos annos lubentissime egisset, nihil nisi operam adversa fortuna inceptam prospera perficere et concludere; lauta sane et praecleara rerum conditio perpaucis doctis hominibus concessa. Sed ubi aderant omnia, quae tranquillitati studiorum ejus favere viderentur, una tamen pax ei defuit. Primo quidem nova et ampliore provincia, in qua erat constitutus, delectari videbatur; librum popularibus confecit verbis in usum curiosae multitudinis quae atria Musei animi causa pervagari solet, summo vero studio, sed tecte et fere tacite, in opere majore conficiendo versari facile intelligebatur; varias etiam, non sine impetu quodam, in Museo suscepit ordinationes suo arbitrio aptas et idoneas. Neque omnis animo erepta erat pristina hilaritas, aculei modo, qui in dictis semper reconditi fuerunt, acutiores, vehementiores. Lababat vero sensim valetudo antea firma et commoda, et mox obrepebat injucunda senectus. Ille enim qui antea nulli rei minus quam otio indulisset, idem defectionem virium graviter molesteque ferebat, cruciatus timore ne finem non videret variorum quae inchoaverat operum. Imminuto denique in dies magis corporis vigore, sanguine ictus subito cecidit, et inter primam curationem die 13 Februarii 1876 exspiravit, aetatis suae anno septuagesimo primo.

Compertum est demortuum libros et picturas lineares quas possederat Academiae Scientiarum testamento reliquisse. Manuscripta atque doctam reliquam supellectilem generosissime addiderunt heredes. Quae jussu Academiae diligenter percensentes multa quidem invenimus et varia Trilobitas, Cephalopoda, Graptolithos e. s. p. spectantia, sed majore parte inchoata et quae ederentur nondum idonea. Quarum rerum curam ideo remisisse videtur, ut toto se animo daret huic operi de Crinoideis, quod prope perfectum reperiebatur, et cujus edendi cura nobis mandata est. Apparet jam anno 1854 auctori in animo fuisse id edere loco secundi tomi Palaeontologiae Scandinavicae; iconum vero aliquam partem inde ab anno 1863 servasse constat. Morte ejus tabulae omnes, numero XXIX, jam erant opera lithographi perfectae, et, tribus modo exceptis, impressae; verborum textus auctoris manu maxima ex parte erat scriptus. Nostrum erat schemata dispositionis systematicae, characteres generum et specierum, synonymias, notas varias, e schedis ejus colligere et in ordinem redigere. Quae omnia immutata hic tradimus, additis solummodo diagnosibus specierum paucissimarum, ad normam auctoris confectis. In quibus nimiam interdum brevitatem, jam antea, in priore ejus opere, notatam etiamsi forte vix imitandam esse concedere par est, ceterum non dubium est intellecturos omnes rerum peritos opus hocce Angelinianum, in suo genere longe copiosissimum, ad faunam aetatis siluricae penitus cognoscendam maximi esse momenti. Cystidea stratorum inferiorum apud nos plurimum quidem male servata et manca, eo magis vero incolumbia Crinoidea propria, praesertim Gotlandiae insulae. In quibus tam numerose colligendis haud minus miranda est auctoris industria et diligentia, quam in structura eorum eruenda subtilitas atque sollertia.

Speciminum descriptorum aliqua pars e museis alienis auctori mutuo data fuit; plurima vero in Museo Regni asservantur, quae litteris M. R. designavimus.

Dabamus die 13 Februarii 1878.

S. LOVÉN.

G. LINDSTRÖM.

OPERA AUCTORIS.

- Palæontologia Suecica, auctore N. P. ANGELIN. P. I. Iconographia Crustaceorum Formationis Transitionis. Fasc. I. 4:o. Lundæ, typis Berlingianis. MDCCCLI. Pag. 1—24. Tab. I—XXIV.
- Palæontologia Scandinavica, auctore N. P. ANGELIN. P. I. Crustacea Formationis Transitionis. Fasc. II. 4:o. Lundæ, typis Berlingianis. MDCCCLIV. Pag. I—X, et 21—92. Tab. XXV—XLII. Continuatio præcedentis.
- Fasc. I et II, Holmiæ, Samson & Wallin. Pretium 30 Kr.
- Handledning vid beseendet af palæontologiska samlingarna uti Riksmuseum. Rummet II—VI. Stockholm 1867. P. A. Norstedt & Söner. 8:o. Pag. 1—31.
- Geologisk Öfversigts-Karta öfver Skåne med åtföljande text, på uppdrag af Malmöhus och Christianstads Läns Kongl. Hushållnings-Sällskap utarbetad af N. P. ANGELIN. Lund 1877. Fr. Berlings Boktryckeri och Stilgjuteri. 8:o min. Pag. I—IV, et 1—83. Lund, Philip Lindstedt. Christianstad, Littorinska Bokhandeln. Pretium 2 kr.
- Iconographia Crinoideorum in stratis Sueciæ siluricis fossilium. Auctore N. P. ANGELIN. Opus posthumum edendum curavit Regia Academia Scientiarum Suecica. Cum tabulis XXIX. Folio. Pag. I—IV, et 1—62. Holmiæ, 1878. Samson & Wallin. Pretium 36 Kr.
-

I. CRINOIDEA PROPRIA.

Crinoidea propria Sueciæ optime subdividuntur secundum numerum basalium in quatuor sectiones:
Trimera, Tetramera, Pentamera et Polymera.

SECTIO I. TRIMERA.

FAM. I. BRIAROCRINIDÆ.

Gen. *Briarocrinus* ANG.

(*Βριαρός*, amplius, validus).

Corpus elongatum. Calyx cyathoideus, æquilaterus. Basalia tria inæqualia, lata. Parabasalia nulla. Radialia 3×5 : primaria quinque majuscula, alta, inæqualia; secundaria transversa; tertiaria latiora, axillaria, digitifera. Interradialia duo vel tria. Analia duo. Digiti decem teretes, crassi, simplices; articuli duo vel tres inferiores robusti; pinnulæ longissimæ.

1. *B. inflatus* ANG.

Tab. X, fig. 23.

Radialia inferiora inflata. Articuli digitorum crassi. — Loc. nat. Fårö et Follingbo Gotlandiæ. M.R.

2. *B. angustus* ANG.

Tab. X, fig. 22.

Corpus elongatum, angustum. Radialia inferiora convexa, lævia. Longitudo corporis 34 millim., latit. 9 mm. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

FAM. II. PATELLIOCRINIDÆ.

Gen. *Patelliocrinus* ANG.

(*Πατέλλιον*, patera).

Corpus oblongum. Calyx cyathoideus, inæquilaterus. Basalia tria. Parabasalia nulla. Radialia in tres cingulos disposita: primaria majuscula, subturbinata, latitudine longitudinem superantia; secundaria rectangularia, subangusta; tertiaria axillaria, apice subtruncata, magnitudine modica. Distichale utrinque unicum, uni- l. bidigitatum. Interradialia maxima, quinque, transversa. Interdistichalia duo vel tria. Interdigitale singulum, parvum; articuli digitorum crebri, duplicati.

3. *P. pachydactylus* ANG.

Tab. XVI, fig. 24–25.

Assulæ calycinæ leviter cariosæ. Digiti crassi teretesque; pinnulæ basales longissimæ. Longit. 43 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

4. *P. duplicatus* ANG.

Tab. XIX, fig. 5.

Corpus ovato-expansum. Brachia quadridigitata. Longitudo 20 millim. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

5. *P. chiastodactylus* ANG.

Tab. XIX, fig. 12.

Assulæ leniter scrobiculata. Articuli pinnularum longi. Longitudo corporis 17 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

CRINOIDEA PROPRIA.

6. *P. interradiatus* ANG.

Tab. XXII, fig. 10.

Radialia primaria maxima, heptagona. Brachia bidigitata; pinnulæ tenues, acuminatæ. — Loc. nat. Gotlandia.

7. *P. leptodactylus* ANG.

Tab. XVI, fig. 26, 31.

Radialia et axillaria carinâ mediâ lævi, in radiali tertio furcatâ. Pinnulæ longissimæ. Longitudo 37 millim. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

8. *P. pinnulatus* ANG.

Tab. XXIV, fig. 5; XXVI, fig. 18.

Assulæ pulchre granulatae. Brachia bidigitata, crassa. Longit. 22 millim. — Loc. nat. Slite Gotlandiæ. M.R.

9. *P. plumulosus* ANG.

Tab. XXII, fig. 8, 9.

Corpus elongatum. Brachia bidigitata, crassa. Longit. 43 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

10. *P. fulminatus* ANG.

Tab. XXVI, fig. 14, 14 a, b.

Brachia repetito dichotoma; articuli fulminati; pinnulæ longissimæ, crassæ. Specimen mancum. Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

11. *P. punctuosus* ANG.

Tab. XXIII, fig. 26.

Assulæ punctatæ, lineolis vermiculatis sculptæ. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

P. sp. indet.

Tab. XXIV, fig. 6—7 b.

Specimina manca. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

FAM. III. PLATYCRINIDÆ.

Gen. *Marsupiocrinus* PHILL.1839. *Marsupiocrinites* PHILLIPS, apud MURCHISON, Silurian Syst. p. 672.1843. *Marsupiocrinus* MORRIS, Catal. Brit. Foss., Ed. 1, p. 54. — 1867. SALTER, Siluria, Ed. 4, p. 512. — 1873. Id., Cat. Mus. Cambr. p. 119.

Corpus oblongum. Calyx patelliformis. Basalia tria, inæqualia, pentagonum formantia. Radialia per duos cingulos disposita: primaria quinque, maxima, latissima; secundaria quinque minuta, axillaria. Distichalia decem, oblique posita, digitifera, cingulum formantia. Brachia quinque, calycem multoties superantia. Digiti decem binati; articuli duplicati, assulis dilatatis, cuneatis, alternatim extrorsum incrassatis. Perisoma ventrale totum ex assulis minutissimis, crebris constat. Columna teres; articuli æquales, crassiusculi; facies articularis radiata; foramen centrale quinquangulare.

12. *M. radiatus* ANG.

Tab. X, fig. 18—21, 21 a.

1837. *Eucalyptocrinites rosaceus* HISINGER (non GOLDF.), Leth. Suec., p. 90. Tab. XXV, fig. 5 a—b.

Assulæ radiatim-costatæ. Interradialia cuneiformia, medio longitudinaliter depresso. Latitudo calycis 20 millim. altit. 14 millim. — Loc. nat. Klinteberg Gotlandiæ. M.R.

13. *M. rugulosus* ANG.

Tab. XXII, fig. 1.

Assulæ radiales primariæ latæ, rugulosæ, secundariæ minutæ, obscure triangulosæ, axillares. Distichalia duo semilunaria, oblique posita, inæqualia. Interradialia sublanceolata. Articulæ basalis exterioris digiti maximus; digiti crassiusculi. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

14. *M. dubius* ANG.

Tab. XXVI, fig. 24—24 b.

Fragmentum calycis e basalibus tribus hexagonis, margine inferiore calloso; forsitan potius ad aliud genus numerandum. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

15. M. depressus ANG.

Tab. X, fig. 15—17, 17 a.

Assulæ calycinae bucculentæ, læves vel obscure rugosæ, marginibus leniter costatis. — Loc. nat. Gotlandia, Klinteberg? M.R.

16. M. pulcher ANG.

Tab. XXII, fig. 27, 28. Tab. XXVII, fig. 4, 4 a.

Calyx omnino lævis, sine commissuris distinctis inter assulas. Longit. 15 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

Gen. **Leptocrinus** ANG.

(Λεπτός, tenuis).

Calyx pro ratione brachiorum minimus, cyathoideus. Basalia tria, conjuncta, tetra- vel pentagona. Parabasalia nulla. Radialia quindecim, per tres series: primaria hexagona, maxima, secundaria duplo minora, tertiaria apice angulato, pentagona, duos ramos distichalium ferentia. Distichalia tria, quorum tertium utrinque digitiferum. Digiiti longi, tenuissimi, articulis indivisis. Interradialia plura, sex vel septem, in tribus verticillis, secundaria oblique transversa.

17. L. raridigitatus ANG.

Tab. XX, fig. 18, 19. Tab. XXVIII, fig. 4, 4 a.

Interradialia carinâ mediâ parum elevatâ. Articuli digitorum facietati, leniter granulati. — Loc. nat. ad Djupvik parœciæ Eksta Gotlandiæ, in schisto margaceo. M.R.

Gen. **Cordylocrinus** ANG.

(Κορδύλη, clava),

Basalia tria, connata. Radialia primaria permaxima, cetera magnitudine multoties superantia; secundaria et tertiaria transversa. Interradialia in tribus verticillis. Brachia quinque bidigitata; pinnulæ longissimæ.

18. C. comtus ANG.

Tab. XXIII, fig. 6.

Assulæ eleganter punctatæ. Digiiti decem, articulis simplicibus. — Loc. nat. Gotlandia.

FAM. IV. HABROCRINIDÆ.

Gen. **Habrocrinus** D'ORB.

(Ἄβρός, pulcher, splendidus).

1851. *Abracrinus* D'ORBIGNY, Cours élém. de Paléont. vol. II, fasc. 2, p. 144.

Corpus oblongatum. Calyx cyathoideus, inæquilaterus. Basalia tria, humillima, inæqualia. Radialia 5 × 3, addito anali inferiore: primaria sex longiuscula, quorum quinque radialia, sextum anale inferius; secundaria quinque subrectangularia; tertiaria quinque axillaria, digitifera. Interradialia tria, per duos verticillos horizontales disposita. Analia numerosa, zonatim disposita, serie intermedia longitudinali distinctiore. Interbrachialia et interdigitalia minuta. Brachia quinque didactyla. Digiiti decem, elongati, crassiusculi, binati; articuli simplices; pinnulæ longissimæ, filiformes, basales validiusculæ. Perisoma ventrale: assulæ ambulacrales per quinque series, a centro ambitum versus procedentes, apicibus bifurcatis. Apertura analis ad apicem seriei analium. Columna subangusta articulis inæqualibus.

19. H. ornatissimus ANG.

Tab. VI, fig. 9.

Assulæ anales rugis radiantibus; quindecim intermedia, seriata. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

20. H. cariosulus ANG.

Tab. III, fig. 7, 7 a.

Assulæ leviter cariosæ. Interradialia tria per duas series transversas; infimum superioribus fere duplo majus. Interbrachialia tria parva, his imposita. Interdigitalia duo minuta; inferius interbrachialibus æquale. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

21. *H. lævis* ANG.

Tab. XIX, fig. 21, 21 a, b.

Fragmentum calycis: radialia primaria et secundaria lævia, interradianali maximo interposito. Long. 16 millim.
— Loc. nat. Klinteberg Gotlandiæ. M.R.

22. *H. anulatus* ANG.

Tab. XXII, fig. 15.

Margo inferior basalium intumescens, callositatem anularem formans. Long. 16 millim. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ. M.R.

23. *H. longimanus* ANG.

Tab. XXII, fig. 11, 12.

Corpus elongatum. Calyx depressus, brevis. Basalia humilia. Radialia lævia, ut etiam ceteræ assulæ. Long. 35 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

24. *H. granulatus* ANG.

Tab. XIX, fig. 13, 13 a.

Assulæ granulis, sparsis, verrucæformibus ornatae. — Loc. nat. Klinteberg, Gotlandiæ. M.R.

25. *H. ornatus* ANG.

Tab. XXI, fig. 19, 20. Tab. XXVI, fig. 11—12 b. Tab. XXVII, fig. 5.

1740. *Encrinus* CAPPELLERUS, in Epistola, apud KLEIN, Sciagraphia Lithologica, pag. 13, fig. 4 A. B.

Assulæ concentricè striatæ. Interradialia superiora umbonata. Articuli digitorum plerumque longitudinaliter costulati. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

26. *H. grandis* ANG.

Tab. XXVI, fig. 10.

Assulæ calycinae læves. Articuli digitorum crebri, tenues. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

27. *H. umbonatus* ANG.

Tab. XXVI, fig. 13, 13 a.

Interradiale infimum enneaëdrum, medio carinâ elevatâ obtusâ præditum. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

28. *H. decadactylus* ANG.

Tab. XV, fig. 18, 19.

Analia numerosissima minuta. Long. corporis 31 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

29. *H. tenuis* ANG.

Tab. XXVI, fig. 9, 9 a.

Assulæ læves. Digiti graciles. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

30. *H. comtus* ANG.

Tab. XXII, fig. 13.

Assulæ vermiculatim striolatæ, medio granulatae vel punctuosæ. Corpus elongatum. Calyx cyathoides. Columna ex articulis alternis majoribus constat. — Loc. nat. Gotlandia.

31. *H. pinnulatus* ANG.

Tab. XXII, fig. 14.

E duobus brachiis tres digiti exeunt, e tribus ceteris solummodo duo, unde numerus digitorum duodecim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

32. *H. robustus* ANG.

Tab. XXII, fig. 19.

1828. "*Cyathocrinus?* MILLER". HISINGER, Anteckn. IV, p. 217. Tab. V, fig. 10.

Assulæ læves. Digiti articulis crassis. Interdigitalia sex, in tres series ordinata. — Loc. nat. Follingbo et Fårö Gotlandiæ. M.R.

Gen. *Pionocrinus* ANG.

(Hör, pinguis).

Corpus oblongatum. Calyx brevis patelliformis, inæquilaterus. Basalia tria, humillima, transversa. Radialia 5×3 , addito anali inferiore; primaria quinque breviuscula, præter sextum anale

inferius, longiusculum; secundaria quinque sublinearia; tertiaria quinque axillaria, digitifera. Interradialia duo, inferius maximum, superius obsoletum. Interdigitale singulum. Analia sex minora, per tres series longitudinales disposita. Brachia quinque, didactyla. Digiiti elongati, teretiusculi, binati; articuli angusti, simplices; pinnulae longissimae.

33. P. pulchellus ANG.

Tab. III, fig. 9, 9 a.

Radialia medio costâ longitudinali, pæne obsoletâ. Interradiale inferius oblongum, umbonatum, superius obsoletum. Analia sex, per tres series longitudinales; intermedia ceteris parum latiora. Digiiti decem; articuli basales ceteris latiores; interdigitale singulum. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

34. P. affinis ANG.

Tab. XXII, fig. 7.

Basalia humilia, transversa. Radialia quindecim per quinque radios. Interradiale unicum, polyedrum. Analia septem. Digiiti basi coarctati, medio longitudinis dilatati, dein subito acuminati. Long. 34 millim. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

35. P. elegantulus ANG.

Tab. XXII, fig. 16, 17.

Corpus elongato-ovatum. Analia sedecim: infimum maximum, heptagonum, superiora per tres series longitudinales ordinata. Columna articulis anularibus regulariter inter se distantibus composita. — Loc. nat. Gotlandia.

36. P. simplex PHILLIPS.

Tab. XV, fig. 15, 15 a.

1740. *Encrinus* in CAPPELLERI Epistola apud KLEIN, lib. cit., p. 13, fig. 3.

1837. *Actinocrinus tesseracontadactylus* HIS. (non GOLDF.) Leth. Suecica, p. 90, Tab. XXV, fig. 4 a—b.

1847. *Actinocrinus simplex* PHILL. ap. MURCHISON, Sil. Syst., Tab. XVIII, fig. 8, p. 673.

1850. *Ichthyocrinus tesseracontadactylus* D'ORB., Prodr. p. 46.

1850. *Abracrinus simplex* D'ORB., Prodr. p. 47.

1867. *Cyathocrinus tesseracontadactylus* SALTER, Siluria, Ed. 4, Pl. 14, fig. 4.

1873. *Taxocrinus simplex* SALTER, Catal. Geol. Mus. Cambr., p. 125.

Digiiti decem validi; articuli crassi, longitudinaliter tenue costati. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

37. P. farctus ANG.

Tab. XVI, fig. 23. Tab. XXII, fig. 5, 6.

1828 "En tillsluten krona med 10 armar". HISINGER, Anteckn., IV, p. 217, Tab. V, fig. 5, figura mala.

Radialia primaria basi truncata. Anale inferius his angustius, basi angulata. Interradialia duo, inferiora majora, ovata, apice truncata. Long. 16 millim. Forsitan juvenis Pionocrini pulchelli vel Habrocrini umbonati. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

FAM. V. DESMIDOCRINIDÆ.

Gen. *Desmidocrinus* ANG.

(*Aequis*, fasciculus).

Corpus oblongum vel subovatum. Calyx brevis, cupuliformis vel fere cyathoideus, inæquilateralis. Basalia tria, humilia. Radialia per tres cingulos disposita: primaria late polygona, secundaria angusta, linearia; tertiaria transversa, pentagona. Distichalia duo, heterodactyla. Interradialia quinque, majuscula, eadem fere longitudine ac latitudine. Brachia quinque, basi dichotoma. Digiiti filiformes, varie inæqualiter dichotomi, apice simplices, articulis tenuissimis, creberrimis, simplicibus, pinnulis longissimis, multiarticulatis. Columna teres, ex articulis alternis crassiusculis, canali centrali medio stellato prædita.

38. D. pentadactylus ANG.

Tab. XVI, fig. 15, 22.

Corpus latum, corymbosum. Brachia digitis quinque vel sex, bifidis. — Loc. nat. Follingbo, Klinteberg et Dalhem Gotlandiæ. M.R.

39. *D. macrodactylus* ANG.

Tab. XVI, fig. 20, 21.

Assulæ calycinæ concavæ, margine calloso. Analia numerosissima. Brachia tridactyla. — Loc. nat. Förlingbo Gotlandiæ. M.R.

40. *D. heterodactylus* ANG.

Tab. XVI, fig. 16, 16 a.

Assulæ calycinæ leviter vermiculatæ. Brachia tridigitata. Long. 30 millim. — Loc. nat. Förlingbo Gotlandiæ. M.R.

41. *D. tridactylus* ANG.

Tab. XVI, fig. 4, 4 a.

Assulæ stellulatæ. Brachia tridigitata. — Loc. nat. Förlingbo Gotlandiæ. M.R.

FAM. VI. ACTINOCRINIDÆ.

Gen. *Actinocrinus* MILLER.1821. *Actinocrinites* MILLER, Nat. Hist. of Crinoidea, p. 94.42. *A. longimanus* ANG.

Tab. XV, fig. 17. Tab. XXVI, fig. 16. Tab. XXVIII, fig. 5, 5 a, 6.

Calyx elongatus, cupuliformis. Brachia quadridigitata, articulis duplicatis. — Loc. nat. Färö Gotlandiæ. M.R.

43. *A. medius* ANG. *Dimensiōn*Tab. XVIII, fig. 9. *201144.*

Interradialia tria, per duos cingulos (1 + 2). Distichalia quatuor ad radium. — Loc. nat. Lickershamn Gotlandiæ. M.R.

44. *A. nubilus* ANG.

Tab. XVIII, fig. 14.

Assulæ interradales stellis obsoletis quinqueradiatis. — Loc. nat. Gotlandia.

45. *A. major* ANG. *Dimensiōn*Tab. XVIII, fig. 10. *Ec. 1143*

Assulæ calycinæ margine plicato. Radialia lata, hexagona. Parabasalia quinque elongata, umbonata. — Loc. nat. Lickershamn Gotlandiæ. M.R.

46. *A. interradiatus* ANG.

Tab. XXVI, fig. 15.

Interradialia lævia, numerosa, ad duodecim. Interaxillaria quatuor. Interdigitalia tria. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

47. *A. brevis* ANG.

Tab. XVIII, fig. 12.

Interradialia numerosa, inferiora quinque per tres cingulos. Interdistichalia octo. — Loc. nat. Gotlandia.

48. *A. Schultzi* ANG.

Tab. XVIII, fig. 13.

Assulæ interradales stellis sexradiatis. — Loc. nat. Gotlandia.

49. *A. quinquangularis* ANG.

Tab. XVI, fig. 27, 27 a, 28.

Assulæ læves. Basis calycis coarctata. — Loc. nat. Lickershamn Gotlandia. M.R.

50. *A. longidigitatus* ANG.

Tab. XXVI, fig. 19, 19 a.

Brachia decem, gracillima, calycem exiguum longitudine multoties superantia. Interradialia pauca. — Loc. nat. När, Rikvide Gotlandiæ. M.R.

Gen. *Periechocrinus* AUSTIN.1843. *Periechocrinites* AUSTIN, Ann. Mag. Nat. Hist., Ser. 1, Vol. XI, p. 203.1843. *Periechocrinus* MORRIS, Cat. Brit. Foss., Ed. 1, p. 56. — 1855. M'COY, Synopsis Brit. Pal. Foss., p. 56.1850. *Geocrinus* D'ORB., Prodr. I, p. 41.

Corpus elongatum. Calyx cyathoides, inæquilaterus, quinquangularis. Basalia tria. Radialia quindecim, per tres cingulos disposita, elongata, tertiaria axillaria. Distichalia viginti, per duos cingu-

los disposita, suprema axillaria, digitifera. Interradialia numerosa, inferiora sex, superiora quindecim. Digiti repetito-dichotomi; articuli duplicati, basales majusculi, simplices.

51. *P. scanicus* ANG.

Tab. XIX, fig. 16, 16 a.

Calyx magnus, cupuliformis. Radialia sulco medio in basim digitorum continuo; primaria oblique heptagona. Interradialia quindecim vel plura. Long. 86 millim. — Loc. nat. Klinta prope Ringsjön Scaniae. M.R.

52. *P. gotlandicus* PANDER.

Tab. X, fig. 3, 4.

1858. *Trochocrinites gotlandicus* PANDER apud HELMERSEN, Geol. Bemerkungen auf einer Reise in Schweden und Norwegen, p. 20. Tab. III, fig. 11 a, b, d, e, excl. fig. 11 c.

Superficies assularum radiis elevatis, stellulatis ornata. Columna articulis alternatim latis et coarctatis. — Loc. nat. strata saxi arenacei inter Bursvik et Hoburg Gotlandiae. M.R.

53. *P. radiatus* ANG.

Tab. X, fig. 1, 2. Tab. XXIII, fig. 3. Tab. XXVII, fig. 6, 7 (bis).

Assulae omnes, supremis exceptis, radiis sex ornatae. Radialia hexagona, obtuse carinata; supremum heptagonum. Interradialia numerosissima. Interdistichalia septem. Interdigitalia tria vel quatuor. Digiti tenues, bifidi. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

54. *P. multicostatus* ANG.

Tab. XVIII, fig. 15 a—e.

Assulae basales tricostatae; radiales umbonatae, quinquefacietatae. — Loc. nat. Bursvik (Valarne) Gotlandiae, in stratis oolithicis. M.R.

55. *P. geometricus* ANG.

Tab. X, fig. 29.

Calyx punctis elevatis figuras triangulosas, concentricas formantibus. — Loc. nat. Klinta Scaniae, ad Ringsjön. M.R.

56. *P. laevis* ANG.

Tab. XVIII, fig. 11.

Interradialia numerosa; inferiora majuscula, quinque, per tres cingulos; superiora distincte minora, octo vel decem per tres l. quatuor cingulos. Interdistichalia et interdigitalia quinque, per duos l. tres cingulos. — Loc. nat. Gotlandia.

57. *P. grandiscutatus* ANG.

Tab. XXVI, fig. 25.

Assulae laeves. Radialia convexa. Columna foramine quinquelobato. — Loc. nat. Gotlandia.

58. *P. anulatus* ANG.

Tab. XIX, fig. 10, 10 a.

Assulae obsolete vermiculatae, anulo laevi marginali. — Loc. nat. Likkershamn Gotlandiae. M.R.

59. *P. undulatus* ANG.

Tab. XXVI, fig. 20.

Basalia costis duabus divergentibus. Radialia primaria costis septem, in centro unitis. Assulae aliae seriebus sex nodulorum. Facies glenoidea columnae radiis nodulorum oblecta; suturae articulorum undulatae. — Loc. nat. Gotlandia.

FAM. VII. BARRANDEOCRINIDÆ.

Gen. *Barrandecrinus* ANGELIN.

Corpus ovale l. subglobosum, longitudinaliter plicatum. Calyx parvus, turbinatus, inaequaliter, rete pinnularum connatarum circumvelatus. Basalia tria, subaequalia. Radialia 2 x 5, addito anali inferiore: primaria inaequalia sex, dorsuale hexagonum, lateralia anteriora duo heptagona, posteriora duo hexagona, anaeque majusculum; secundaria quinque transversa, pentagona, axillaria, digitifera. Interradialia quinque polygona. Analia secundaria tria. Interdigitalia minuta. Brachia decem, per paria inter se et una cum pinnulis connata, super calycem retroflexa, globum formantia

longitudinaliter profunde decemplicatum, calycem includentem. Columna teres l. leviter octangularis, brevis, canali centrali pentagono, sat distincto; articuli tenuissimi, facies articularis subtilissime radiata.

Hoc genus insigne Principi Palæontologorum, clarissimo BARRANDE, dicatum volui.

60. *B. sceptrum* ANG.

Tab. IV, fig. 5, 5 a. Tab. V, fig. 6, 6 a. Tab. XXII, fig. 2—4.

Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

FAM. VIII. SAGENOCRINIDÆ.

Gen. *Sagenocrinus* AUSTIN.

1843. *Sagenocrinites* AUSTIN, Ann. Nat. Hist., Ser. 1, Vol. XI, p. 205.

1843. *Sagenocrinus* MORRIS, Catal. British Fossils, Ed. 1, p. 58.

1852. *Megistocrinus* OWEN et SHUMARD, Rep. Iowa, Wisconsin and Minnesota, p. 594.

Corpus oblongum. Calyx cyathoides. Basalia tria conjuncta, pelvim pentagonam formantia, inæqualia. Parabasalia sex inæqualia, apice subacuto; anale ceteris minus et angustius. Radialia 3×5 , præter anale, per tres verticillos disposita: primaria latiuscula, heptagona; anale latum. Distichalia quatuor per totidem series disposita, suprema digitifera. Brachia decem, repetito-dichotoma. Digni mediocres, articuli simplices, pinnulæ breves.

61. *S. expansus* PHILL.

Tab. XV, fig. 6, 8. Tab. XXVII, fig. 8, 8 a, b. Tab. XXVIII, fig. 8.

1821. *Rhodocrinites verus* MILLER p.p., Nat. Hist. Crin., pag. 106, pl. I, fig. $\frac{1}{A}$.

1839. *Actinocrinites expansus* PHILLIPS, Sil. Syst. p. 674, Tab. 17, fig. 9.

1843. *Sagenocrinites expansus* AUSTIN, Ann. Nat. Hist., Ser. 1, Vol. XI, p. 205.

1843. *Sagenocrinus expansus* MORRIS, Catal. Brit. Foss., Ed. 1, p. 58.

1859. *Glyptocrinus? expansus* SALTER, Sil., Ed. 2, p. 512, Tab. XV, fig. 1, 2. — 1873 Id., Catal. p. 122.

Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

FAM. IX. TAXOCRINIDÆ.

Gen. *Taxocrinus* PHILL.

1841. *Isocrinus* PHILLIPS, Pal. Foss. of Cornwall, p. 30, nec *Isocrinus* H. v. MEYER, Mus. Senk., Vol. II, p. 251, 1837.

1843. *Cladocrinites* AUSTIN, Ann. Nat. Hist., Ser. I, Vol. XI, p. 197, nec *Cladocrinus* AGASSIZ, 1834.

1843. *Taxocrinus* PHILLIPS apud MORRIS, Cat. Brit. Foss., Ed. 1, p. 59.

1850. *Cupulocrinus* D'ORBIGNY p.p., Prodr., Vol. I, p. 23.

Corpus elongatum, oblongum, ovale, racemosum l. corymbosum. Calyx patelliformis, inæquilateralis. Basalia tria, inæqualia, plus minusve distincta. Parabasalia quinque, hexagona, quorum quatuor æqualia, antrorsum acuta, quintum impare heptagonum, supra truncatum. Radialia 3×5 , addito anali angustiore pentagono: primaria quinque lata, inæqualia, polygona, lunulata; secundaria quinque ad septem, libera; tertiaria axillaria. Analia per duos cingulos disposita. Interradialia et interdigitalia plura, minora. Brachia elongata, repetito-dichotoma, basi remotiuscula. Digni articulis simplicibus. Pinnulæ perbreves. Perisoma ventrale tubo perangusto. Columna teres; articuli tenuissimi.

62. *T. ovalis* ANG.

Tab. XX, fig. 13, 14.

Corpus ovale. Basalia humilia. Parabasalia quinque, pentagona. Radiale secundum minimum, transversum. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

63. *T. oblongatus* ANG.

Tab. XX, fig. 17.

Parabasalia acuminata. Radialia primaria ac secundaria transversa, semilunata; tertiaria margine superiore cuspidato. Articuli digitorum margine undulato vel curvo. — Loc. nat. Fårö Gotlandiæ. M.R.

64. *T. interbrachiatus* ANG.

Tab. XX, fig. 9, 10.

Radiale tertium et articuli digitorum angulosi, transversim carinati. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

65. T. expansus ANG.

Tab. XX, fig. 15, 16.

Corpus fere globosum. Radialia primaria maxima, septangularia, margine supremo lunulato. Brachia brevia, robusta. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

66. T. rigens ANG.

Tab. XVIII, fig. 7, 8.

Axillaria apice producta, acuta. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

67. T. distensus ANG.

Tab. XXVI, fig. 7, 7 a.

Radialia primaria inæqualia, quatuor subæqualia, quintum rectum, juxta scutum anale, ceteris minus; tertiaria axillaria, inæqualia. Distichalia variant, tertio vel quarto axillari. Brachia brevia, crassiuscula, repetito-dichotoma, basi distantia, fasciculata, apice incurvata; digiti articulis simplicibus, seriato-punctati. — Loc. nat. Gotlandia.

68. T. tubuliferus ANG.

Tab. XX, fig. 11, 12.

Radialia quatuor, supremum axillare bidigitatum. Nonne pullus Cyathocrini cujusdam? Long. 9 millim. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

69. T. Salteri ANG.

Tab. XXIII, fig. 1, 1 a.

Corpus ovale. Parabasalia hexagona. Radialia omnium ordinum inter se æqualia; primaria clypeiformia. — Loc. nat. Fårö Gotlandiæ. M.R.

70. T. punctatus ANG.

Tab. XXIII, fig. 4, 5, 27.

Assulæ calycinæ atque articuli digitales punctis elevatis, duobus in quoque articulo. Parabasalia radialibus primariis majora, hexagona. — Loc. nat. Gotlandia.

71. T. Austini ANG.

Tab. XIX, fig. 11, 11 a.

Radialia primaria clypeiformia, infra acuminata, superne rectilinea. Longit. calycis 6 millim. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

Gen. **Forbesiocrinus** DE KONINCK & LE HON.

1854. *Forbesiocrinus* DE KON. & LE HON, Recherches sur les Crinoïdes de la Belgique, p. 118.

Corpus oblongum. Calyx patuliformis l. cyathoideus. Basalia tria, inæqualia, plus minusve distenta. Parabasalia quinque, quorum quatuor pentagona, apice acuto, quintum heptagonum, apice truncato. Radialia primaria quinque, lata, heptagona; anale heptagonum. Interradialia plura, quorum basale ceteris multo majus. Brachia parce repetito-dichotoma, basi distantia. Digiti articulis simplicibus, apice incrassatis. Pinnulæ perbreves. Columna teres.

72. F. divaricatus ANG.

Tab. XXI, fig. 21. Tab. XXVIII, fig. 3.

Interradialia novem. Tubus ventralis crassus, longissimus, ex assulis permagnis, bucculentis contextus. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ. M.R.

Variat brachiis robustis, latis: Tab. XXVI, fig. 6, 6 a. Follingbo Gotlandia. M.R.

73. F. Milleri ANG.

Tab. XXI, fig. 16. Tab. XXVIII, fig. 1.

Obsolete granulatus, interradianale infimum maximum. Taxocrino tuberculato MILLER affinis. — Loc. nat. Gotlandia.

74. F. obesus ANG.

Tab. XXI, fig. 18. Tab. XXVIII, fig. 2.

Interradialia obsoleta; anale unum, magnum, cetera minora, per tres series; assulæ supplementariæ, majusculæ, pone interradianale. Longit. 37 millim., latit. 23 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

75. F. robustus ANG.

Tab. XXI, fig. 11, 12.

Interradialia tria vel quinque; unum majus, ovale, minora per duas series disposita. Longit. 32 millim. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ. M.R.

Gen. **Gissocrinus** ANG.

(Γείσσορ, crepido).

Corpus elongatum, ad basin brachiorum plus minusve ventricosum. Calyx inæquilaterus, brevis. Basalia tria inæqualia, parva. Parabasalia quinque majuscula, inæqualia: quatuor penta- l. hexagona, superne acuta, et quintum impare, longiusculum, heptagonum, supra truncatum. Radialia 3×5 usque ad 4×5 , quorum radialia primaria quinque latissima, lunulata; anale inferius hexagonum. Distichalia suprema axillaria. Analia interradsialia primaria et secundaria per duos cingulos disposita; superiora in tubum longissimum, crassum, subangulatum abeunt. Brachia repetito-dichotoma; articuli simplices; pinnulæ brevissimæ, verrucæformes.

Corpus variat corymbosum, racemosum l. cylindraceum, basi ventricosum, subtus planiusculum vel umbonatum. Parabasalia quinque, inæqualia, quorum duo postice sunt plana, margineque basali plano imposita, tria autem, postica scilicet analeque, sunt margine postico acuta et inter basalia interposita. Radialia superiora 2—4, libera, digitis conformia, nec inter se connata, nec ad conficiendum calycem quidquam afferunt. Anale inferius breviusculum, diametris fere æqualibus, inter radialia inferiora positum est. Analia superiora, tria, parva, seriem transversam ad basim tubi ventralis formant; intermedium vulgo majus. Brachia longissima, irregulariter iterato-dichotoma, teretiuscula. Perisoma ventrale: assulæ ambulacrales parvæ, elevatiores, alternantes, per quinque series a basi brachiorum, medium versus perisomatis procedunt, ipsum vero centrum disci, assulis majusculis planis tectum, non attingunt. Tubus ventralis crassus, longitudine brachia excedens. Columna modica, plus minusve pentagona; articuli inæquales; facies articularis radiata; foramen centrale quinquangulare.

76. G. arthriticus PHILL.

Tab. III, fig. 1—3, 5 b. Tab. XXIX, fig. 75.

1839. *Actinocrinus arthriticus* PHILL., apud MURCHISON, Silur. Syst. p. 674, Tab. 17, f. 8. — 1854. MORRIS, Catal. Brit. Foss., ed. 2, p. 70.

1859. *Cyathocrinus arthriticus* SALTER, apud MURCHISON, Siluria, Ed. 3, p. 535, Tab. XIV, f. 7. — 1867. Ib. Ed. 4, p. 512, Tab. XIV, f. 7. — 1873. SALTER, Catal. of Cambr. & Silur. Fossils in Geol. Museum of Univ. of Cambridge p. 124.

Corpus basim versus ampullaceum. Calyx parvus, brevis, patelliformis, radiato-costatus. Radialia primaria ampla, patula, lunulata. Secundaria mediocria, latiuscula, axillaria. Distichalia axillaria utroque latere monodactyla. Brachia inæqualiter repetito-dichotoma. Digiti binati, repetito-dichotomi, inæquales, elevato-truncati, costâ mediâ longitudinali, obtusâ; articuli breviusculi, crassi, antrorsum vix latiores. — Loc. nat. in stratis inter Endre et Follingbo Gotlandiæ; frequens. M.R.

77. G. macrodactylus ANG.

Tab. XVIII, fig. 1.

Calyx campanulatus, costatus. Radialia primaria majuscula, sublunata, quarta et quinta axillaria. Articuli digitales teretes, læves. Tubus ventralis magnus, latus, squamosus. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

78. G. punctuosus ANG.

Tab. XXVII, fig. 1 a—g. Tab. XXIX, fig. 73—74 a, 75 c, d, 76, 76 a.

Calyx regulariter costatus vel vermiculatus, assulis granulatis. Radialia primaria sublunulata, secundaria axillaria. Tubus ventralis latus, squamosus. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

79. G. nudus ANG.

Tab. XX, fig. 20.

Corpus glaberrimum. Radialia primaria hexagona, longiuscula, obsolete lunulata. Articuli digitales elongati, antrorsum dilatati. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

80. G. elegans ANG.

Tab. III, fig. 5, 5 a.

Assulæ parabasales et radiales primariæ eleganter radiato-costatæ et insuper punctis elevatis subseriatis ornatae. Calyx radiato-costatus, punctatus. Radialia primaria latissima, lunulata, tertiaria axillaria; radiale tertium in uno eodemque specimine, quod examinavimus, axillare et omnino rudimentale est, utrinque distichale unicum majusculum portans. Articuli digitales latiusculi, brevissimi. — Loc. nat. inter Endre & Follingbo Gotlandiæ. M.R.

81. G. tubulatus ANG.

Tab. III, fig. 4.

Corpus ovale, elongatum. Calyx patelliformis, lævis. Radialia primaria angusta, alta, lunulata; secundaria axillaria, antrorsum valde dilatata. Distichalia utrinque a latere anali inæqualia, digitifera, exterius longius, interius brevius et latius. Brachia modice longa; articuli duplo longiores quam lati, antrorsum distincte dilatati; digiti interiores inæquales, articulo primo interiore brevior, exterior longior. Tubus ventralis longissimus, longitudinaliter sulcatus, compressus, assulis parvis, transversis, elevatis. — Loc. nat. inter Endre & Föllingbo Gotlandiæ. M.R.

82. G. umbilicatus ANG.

Tab. XXI, fig. 8–10. Tab. XXIX, fig. 75 a, b.

Corpus lævissimum. Calyx cupuliformis, subtus umbilicatus. Parabasalia plures processus ad radium, cum quo juncta sunt, emittunt; inter processus et existunt impressiones. Radialia primaria amplissima, lunulata; tertiaria axillaria. Digiti teretiuseculi; articuli digitales breves. Distichalia decem, plana; articuli distichales simplices. Columna pentangularis; articuli tenues, majores granulati cum angustioribus lævibus alternant. — Loc. nat. Föllingbo Gotlandiæ. M.R.

Gen. **Myelodactylus** HALL.1852. *Myelodactylus* HALL, Pal. of New York, vol. II, p. 191.1873. *Herpetocrinus* SALTER, Cat. Mus. Cambr. p. 118.

Corpus tenerum, elongatum. Calyx cyathoideus. Basalia tria. Parabasalia quinque, polygona. Radialia primaria quinque, unicam zonam formantia; secundaria per duas series; superiora triangula, brachiifera. Interradialia duo. Brachia longissima, subfiliformia, repetito-dichotoma, articulis simplicibus. Tubus ventralis distinctus, articulatus. Columna crassa, convoluta, articulis tenuissimis, cirrhis numerosis, moniliformibus.

83. M. heterocrinus ANG.

Tab. X, fig. 24, 25.

Corpus digitis robustioribus quam *M. gracilis*. Cirrhi columnæ crassi, conferti, uniseriati. Longit. 37 millim. — Loc. nat. Föllingbo Gotlandiæ. M.R.

84. M. gracilis ANG.

Tab. X, fig. 28.

Calyx elongatus, angustus. Radiale quartum maximum, bidigitatum. Digiti articulis gracilibus ac elongatis, multoties divisi. Cirrhi columnæ moniliformes, corpus amplectentes. Longitudo corporis 30 millim. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ. M.R.

85. M. (?) interradians ANG.

Tab. X, fig. 26, 27.

Calyx cyathoideus. Basalia obsoleta. Parabasalia quinque. Interradialia sex, uniseriata. — Loc. nat. Petesvik, Habblingbo Gotlandiæ. M.R.

FAM. X. HOMALOCRINIDÆ.

Gen. **Homalocrinus** ANGELIN.

(Ὁμαλόγ, lævis).

Corpus ovale, digitis confertis. Basalia tria, humilia. Parabasalia quinque, minuta, triangularia, inter latera radialium primariorum impressa. Radialia primaria transversa, semilunaria. Interradialia infima heptagona, magna, duobus minoribus in una serie. Analia tria, subæqualia. Digiti repetito-dichotomi.

86. H. parabasalis ANG.

Tab. XVI, fig. 29, 30.

Parabasalia minuta, triquetra. Longitudo corporis 17 millim. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

Gen. **Lecanocrinus** J. HALL.

1852. JAMES HALL, Pal. New York, vol. II, p. 199.

Parabasalia sex oblonga, pentagona. Radialia transversa; tertiaria distichalia, bidigitifera. Digiti divisi.

87. L. macropetalus ANG.

Tab. XIX, fig. 3—4. Tab. XXII, fig. 24.

1852. JAMES HALL, Pal. New York, vol. II, p. 199. Tab. 45, fig. 1 a—h.

Longit. corporis 20 millim. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

88. L. Billingsi ANG.

Tab. XXII, fig. 25, 25 a.

Basalia tria, inæqualia. Parabasalia quinque, hexaëdra. Radialia primaria maxima, pentaëdra, margine superiore curvo; tertiaria digitifera, pentaëdra. Digiti quadrifidi, perbreves, conferti. Longit. corporis 13 millim. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ. M.R.

Gen. **Clidochirus** ANG.

(Κλειδόω, claudio, χείρ, manus).

Corpus breve, pyriforme. Calyx cyathoideus, inæquilaterus. Radialia variant, tria vel quatuor. Analia distincta, quatuor, serie longitudinali.

89. C. pyrum ANG.

Tab. XXII, fig. 23.

Assulæ omnes scrobiculatæ. Anale primum hexaëdrum, secundum octaëdrum, tertium minutum tetraëdrum. Digiti clausi, conferti, pæne connati; articuli digitales foveolis longitudinaliter dispositis. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ, in schisto margaceo. M.R.

Gen. **Calpiocrinus** ANG.

(Κάλπιον, poculum),

Corpus breve, ovato-oblongulum. Calyx cupuliformis, inæquilaterus. Basalia tria, inæqualia, quorum duo biangulata et unum uniangulatum, conjuncta pelvim pentagonam formantia. Parabasalia nulla. Radialia quindecim; primaria quinque lunulata præter anale unum minutum; tertiaria lata, axillaria. Distichalia lata, inæqualia, per tres l. quatuor verticillos disposita, tertiaria et quarta digitifera. Interradialia pauca, inæqualia. Interdistichalia nulla. Analia varia, serie longitudinali. Brachia abbreviata, latiuscula, inæqualiter dichotoma. Digiti planiusculi, angusti, inæquales; articuli simplices. Columna crassiuscula, teres, articulis latiusculis; trochitarum facies articularis radiata, foramine centrali pentagono. Genus habitu accedit ad Anisocrinum, sed defectu parabasalium omnino diversum.

90. C. heterodactylus ANG.

Tab. III, fig. 10, 10 a. Tab. XXVI, fig. 8, 8 a.

Corpus oblongulum, læve, minute granulosum. Calyx cyathoideus. Basalia angusta, tria, inæqualia, in patellam quinquangularem connata: duo majora, biangulata, tertium minus, uniangulatum. Radialia sublinearia: primaria ceteris robustiora, longiora, lunulata, apicibus antrorsum spectantibus; secundaria linearia l. margine postico convexiusculo; tertiaria axillaria, his altiora. Distichalia superiora digitifera. Interradialia inferiora quinque, majuscula, ovalia, radialia secundaria et tertiaria tangentia; superiora minuta. Analia quinque: primum minutum, secundarium majus, ovale, radialia superiora tangens; tertium conicum, distichalia inferiora tangens. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

91. C. ovatus ANG.

Tab. XVI, fig. 17—19.

Corpus ovatum. Calyx cupuliformis, assulis scrobiculatis. Interradialia bina (†), ovalia. Analia quinque in una serie, secundum et tertium maxima. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

92. C. humilis ANG.

Tab. XXIII, fig. 28, 28 a—c. Tab. XXVI, fig. 17.

Basalia angulosa, humilia. Columna facie articulari margine costato, sutura articularum undulata. Longit. fragmenti corporis 14 millim. — Loc. nat. Klinteberg Gotlandiæ. M.R.

93. C. fimbriatus ANG.

Tab. XXIX, fig. 77, 77 a, b.

Basalia lata, convexa. Radialia transversa; primaria heptaëdra. Interradialia quatuor vel tria, infimum maximum. Interdistichale singulum, minutum, hexaëdrum. Columna moniliformis, articulis crassis, convexis. Longitudo corporis 21 millim. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ. M.R.

Gen. **Anisocrinus** ANG(*Ἄνισος*, inæqualis).

Corpus oblongatum. Calyx cyathoideus l. cupuliformis. Basalia tria. Parabasalia cum anali sex, minuta, subcordata, postica medio appendiculata, apice acuto; anale majusculum, altius, apice obtusum.

94. **A. interradiatus** ANG.

Tab. XXII, fig. 18, 18 a. -

Interradiale singulum hexaëdrum. Digiti bifidi, articulis perbrevibus. Longit. 9 millim. — Loc. nat. Klinteberg Gotlandiæ. M.R.

FAM. XI. ICHTHYOCRINIDÆ.

Gen. **Ichthyocrinus** CONRAD.

1842. CONRAD, Journ. Acad. Nat. Sc. Phil. vol. VIII p. 279.

1851. D'ORBIGNY, Cours élém. Pal., II. I. p. 144.

1854. MORRIS, Cat. Brit. Foss., Ed. 2, p. 83.

1855. M'COY, Pal. Foss. p. 54.

1873. SALTER, Cat. Cambr. p. 126.

Corpus obconicum l. cyathoideum. Calyx sensim in brachia digitosque abiens, æquilaterus. Basalia tria, minuta, interdum obsoleta. Parabasalia quinque, pentagona, acuta. Radialia quindecim, per tres verticillos disposita; tertiaria axillaria, digitifera. Anale singulum inter radialia inferiora. Distichalia variant numero usque ad 12×5 ; supremum axillare, digitiferum. Brachia quinque. Digiti viginti.

95. **I. lævis** CONRAD.

Tab. IX, fig. 17, 17 a-c. Tab. XXII, fig. 20, 21.

1842. CONRAD, Journ. Acad. Nat. Sc. Phil., vol. VIII p. 279, tab. 15, fig. 16. — 1852. HALL., Pal. N.York, vol. II p. 195, tab. 43, fig. 2.

Longit. corporis speciminis manci 36 millim. — Loc. nat. Fårö, Lickershamn, Dalhem Gotlandiæ. M.R.

96. **I. intermedius** ANG.

Tab. XVII, fig. 7.

Margo superior radialium atque articularum digitalium medio incisus. — Loc. nat. Fårö Gotlandiæ. M.R.

97. **I. pyriformis** PHILLIPS.

Tab. XVII, fig. 6. Tab. XXII, fig. 22.

1839. *Cyathocrinites pyriformis* PHILLIPS apud MURCHISON, Silurian Syst. p. 672, Pl. 17, fig. 6.1850. *Ichthyocrinus pyriformis* D'ORBIGNY, Prodr. p. 46. — 1854. MORRIS, Cat. Brit. Foss., ed. 2, p. 83. —

1855. M'COY, Palæoz. Foss., p. 54. — 1867. SALTER apud MURCHISON, Siluria, ed. 4, p. 512, tab. 14, fig. 8. —

1873. Id., Catal. Cambr., p. 126.

Longit. corporis 25 millim. — Loc. nat. Visby et alia loca Gotlandiæ. Dr J. G. LINNARSSON specimina ad Amunde parœciæ Burs legit et in Museo Geologico Holmiensi deposuit. M.R.

Gen. **Pycnosaccus** ANG.(*Πυκνός*, densus, *σάκος*, saccus).

Corpus breve, campanulatum, inæquilaterum. Assulæ calycinæ costis atque radiis elevatis. Basalia tria, inæqualia. Parabasalia quinque, polygona. Radialia 2×5 : primaria lata, heptagona vel pentagona, lunulata; secundaria pentagona, supra acuminata, digitifera. Interradialia duo, inæqualia. Brachia brevia, conferta, ter bifida. Columna moniliformis, articulis alternis magnis, bucculentis, foramine centrali quinquelobo.

98. *P. scrobiculatus* HISINGER.

Tab. XV, fig. 10, 11.

1840. *Cyathocrinites? scrobiculatus* HISINGER, Leth. Suec., Supplem. secundum p. 6, Tab. XXXIX, fig. 4 a—c. Costæ calycis stellas pentagonas formantes. — Latit. calycis 28 millim., altitudo 16 millim. — Loc. nat. Klinteberg et Lau Gotlandiæ. M.R.

99. *P. ? costatus* ANG.

Tab. XV, fig. 13.

Pycnosacco scrobiculato affinis, differt calyce altiore, costis radiantibus et radialibus primariis margine superiore inciso. Forsitan potius ad *Cyathocrinos* numerandus. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

100. *P. nodulosus* ANG.

Tab. XV, fig. 12 & 14. Tab. XXVIII, fig. 29.

Costæ parum elevatae. Articuli digitales nodulosi. Altitudo corporis 14 millim., latitudo 18 millim. — Loc. nat. Follingbo et Lau Gotlandiæ. M.R.

SECTIO II. TETRAMERA.

FAM. I. CALYPTOCRINIDÆ^{*)}.Gen. *Callicrinus* D'ORB.^{**)}.1837. *Eugeniocrinites* HISINGER, (non MILLER) Lethæa Suecica, p. 86.1850. *Callicrinus* D'ORB., Prodrome Pal. Stratigraphique, I, p. 45. — Id. 1851. Cours élémentaire de Paléontologie, II, I, p. 141.1868. *Eucalyptocrinus* p. p. J. HALL, Twentieth Rep. State Cab. of N.York, p. 363.

Corpus oblongatum, cylindraceum. Calyx cupuliformis, æquilaterus, basi ad insertionem columnæ excavatus. Basalia quatuor, inæqualia, cuneata. Parabasalia nulla. Radialia 3 × 5: primaria transversa, dimidio inferiore inflexo; secundaria angusta, rectangularia; tertiaria axillaria, latiuscula, pentagona; angulus apicalis productus, latere utroque distichale portans. Interradialia inferiora quinque majuscula, superiora decem binata, dolabriformia, his imposita. Distichalia viginti per duos cingulos disposita; inferiora decem: superiora decem, axillaria, digitifera. Interdistichalia quinque, radialibus imposita, panduræformia, simplicia. Brachia decem, icosidactyla. Digiti viginti, simplices; articuli duplicati. Pinnulæ longissimæ. Perisoma ventrale lageniforme, deorsum costis longitudinalibus viginti abbreviatis.

Calyx stellato-costatus, aculeatus l. muticus. Basalia intus solum visibilia, in conum brevem, summum columnæ amplectentem consociata; apex conii foramine pentagono perforatus. Radialia primaria intus canaliculata, ad margines anticostos conii basalis affixa. Interradialia inferiora majuscula, diametris æqualibus. Digiti mediocres, anguste teretiusculi; articuli pertenuis, linea longitudinali fulminata duplicati. Pinnulæ compressæ, basalibus exceptis, margine exteriori crispulatae. Canales ambulacrales viginti, ad interiora calycis ducentes, ante basim digitorum cum canalibus digitalibus canaliculo brevi communicant. Interdigitalia parva, angusta, sublinearia, apice truncata. Perisoma antrorsum sensim productum in tubum angustum, apice ipso subdilatatum, e verticillis quatuor conficitur. Verticillus infimus ex assulis viginti constat; assulæ spathulatae, inæquales, deorsum longitudinaliter abbreviato-costatae et juxta foramina ambulacralia utrinque emarginatae; quæ interr radialibus impositæ maximæ; quæ interdistichalibus impositæ mediocres; reliquæ decem, interdigitalibus impositæ, sunt minores. Verticillus secundus ex assulis quatuor inæqualibus, convexis, latis, conficitur. Verticillus tertius ex assulis quatuor, majoribus, elongatis. Verticillus quartus verticis l. apicalis ex assulis quatuor, apicibus planis, horizontalibus; foramen verticis centrale, subquadratum. Columna teres, modice crassa, corpus

*) Ob brevitatem forsitan aptius Calyptocrinidæ nec Eucalyptocrinidæ scribendum.

**) Minus recte a D'ORBIGNY *Callicrinus* scribitur. Ut typus generis *Callicrini Eugeniocrinites? costatus* HISINGER omnino est considerandus; etiamsi character hujus generis a HISINGER et D'ORBIGNY ex toto perverse interpretatus, nomen tamen *Callicrini*, caractere emendato, retinendum est.

versus ex articulis æqualibus, latis, incrassatis; trochitarum facies articularis subtiliter striata, canalis centralis modicus, pentangularis.

Hujus familiæ omnino est *Lyriocrinus* HALL, Pal. of New York 1852, Tom. II, p. 197, qui a *Callicrino* differt digitorum numero duplo minore; possidet scilicet hic tantum decem digitos.

101. *C. costatus* HISINGER.

Tab. I, fig. 6 *a—d*. Tab. II, fig. 1—4. Tab. XXI, fig. 4, 5. Tab. XXIV, fig. 23—26.

Tab. XXVIII, fig. 19—22, 24—25 *a*. Tab. XXIX, fig. 1—26, 65—68.

1837. *Eugeniocrinites? costatus* HISINGER, Lethæa Suecica, p. 90, Tab. XXX, fig. 14 *a*. calyx brachiis destitutus, figura *inversa*; fig. 14 *b* idem subtus visus.

1850. *Calliocrinus costatus* D'ORBIGNY, Prodr., I, p. 45.

Corpus lævissimum vel obsolete granulosum. Calyx brevis, cupuliformis, subtus alveolo conico profunde excavatus; apertura alveoli ampla, quinquangularis, margine costâ continuâ circumcincto, costâque alterâ, intramarginali, plus minusve distinctâ, huic parallelâ. Excavatio alveolaris insuper prædita costis quinque linearibus, abbreviatis, longitudinalibus. Calyx extra ornatur costis radiantibus, numerosis, interstitiis varie foveolatis. Radialia primaria deorsum emittunt singulos radios, costas jam descriptas alveolares formantes. Ad latus inferius utrinque radios emittunt, qui basim calycis jam descriptam marginant; superius emittunt duos, qui cum totidem radiis interrationalium connectuntur; deinde antrorsum emittitur unicum; hic, apice furcatus, cornua ad distichalia porrigit. Interradialia inferiora acute umbonata, costas radiatim emittunt quatuor, apicem versus duplicatas, quæ cum costis radialium connectuntur. Costæ posteriores robustiusculæ, apice divergentes, ad costas radialium primariorum abeunt. Costa intermedia radium alterius (inferiorem) ad radialia tertiaria, alterum ad distichalia primaria emittit. Costæ anteriores ad costas interrationalium superiores et deinde distichalia secundaria versus pergunt. — Loc. nat. Lickershamn Gotlandiæ frequenter, e quo quidem loco etiam specimen typicum 1836 reportavi. "In monte Klinteberg" vix occurrit. M.R.

102. *C. costatus* HISINGER, var.

Tab. II, fig. 5, 5 *a*.

Loc. nat. Lickershamn Gotlandia. M.R.

103. *C. Koninckianus* ANG.

Tab. I, fig. 4, 4 *a*. Tab. XXVIII, fig. 18, 18 *b*, 26, 26 *a*.

Calyx subtus orificio alveolari quinquangulari. Spinæ calycinæ per duos verticillos dispositæ, compressiusculæ, subulatæ. — *Eucalyptocrinus* HALL, Twentieth Rep. on State Cab. of New York 1867, p. 363, Tab. XI, fig. 8, 10, differre videtur spinis basi latioribus, apiceque magis acuminatis. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ. M.R.

104. *C. Beyrichianus* ANG.

Tab. II, fig. 6.

Calyx assulis radiatim septemcostatis; apertura alveoli quinquangularis; costæ abbreviatæ, quindecim, intermediæ longiores. — Loc. nat. Lickershamn Gotlandiæ. M.R.

105. *C. Roemerianus* ANG.

Tab. I, fig. 1, 2, 2 *b, c*. Tab. XXVIII, fig. 23, 23 *a*.

Assulæ calycis crassissimæ, spinosæ; spinæ per quinque verticillos dispositæ; quæ e radialibus primariis et tertiariis, interrationalibusque primariis procedunt apice subrotundatæ, longitudineque unciali; ex assulis distichalibus primariis procedentes perbreves et tuberculiformes. Assulæ radiales et interradales primariæ heptagonæ, margine plus minusve plicato. Radialia secundaria angusta, subrectangularia, costis in formam crucis notata, quæ costæ etiam in reliquis assulas calycinæ decurrunt. Brachia longitudine calycem plus triplo superant. — Loc. nat. per strata regionis E, ad Lansa, in insula Fårö et ad Hau in parocia Fleringe Gotlandiæ. M.R.

In memoriam nobilissimæ et doctissimæ ROEMERORUM familiæ ornamentum hocce Siluricum humiliter offert Palæontologiæ Scandinaviæ Auctor.

106. *C. Murchisonianus* ANG.

Tab. I, fig. 3, 3 *a, b*. Tab. XXVIII, fig. 14—17 *b*.

Spinæ calycinæ longissimæ, lanceolato-subulatæ, quinæ; alveolus calycinus costis quinque sublinearibus instructus; spinæ per duos verticillos dispositæ, e radialibus et interrationalibus inferioribus procedunt, longitudinemque digitorum attingunt. Basis interrationalium foveolâ obsoletâ. — Loc. nat. in iisdem stratis ac ceteræ ejusdem generis species, circa Visby Gotlandiæ. M.R.

107. *C. Sedgwickianus* ANG.

Tab. I, fig. 5.

Spinæ calycinæ longæ, obtusæ; foramen alveolare quinquangulare. Interradialia basi foveâ transversâ profunde impressa. An mera varietas *Callicrini* *Murchisoniani*? Sed differre videtur spinis brevioribus et obtusioribus, im-

pressione spinarum interradialium distinctiore, et forma costarum alveoli, quæ apice sunt malleiformes. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ. In Museo Markliniano Upsaliæ exemplum delineatum asservatur.

108. C. minor ANG.

Tab. XXIV, fig. 14.

Assulæ umbonatae. Radialia et distichalia medio jugata. Costæ assularum, basin perisomatis formantium, usque ad apicem verticilli continuæ. Longit. corporis 16 millim. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ. M.R.

109. C. diadema ANG.

Tab. XXVIII, fig. 27, 27 a.

Costæ quinque figuras stellulatas formant, e radiis octo vel decem, infimis duplicatis, confectas. Longitudo calycis 20 millim. Latitudo 44 millim. — Loc. nat. Likkershamn et Visby Gotlandiæ. M.R.

Gen. **Eucalyptocrinus** GOLDFUSS.

1826. *Eucalyptocrinites* GOLDF., Petref. Germ., Vol. I, p. 214.

Corpus ovatum, truncatum. Calyx cupuliformis, æquilaterus. Basalia (intus solum visibilia) quatuor, cum radialibus alternantia, inæqualia, cuneata, in conum summum, columnam amplectentem, apiceque foramine pentagono perforata, consuta. Parabasalia nulla. Radialia, 3×5 , per cingulos tres disposita: primaria transversa, dimidio inferiore inflexo marginique antico coni basalis affixa; secundaria rectangularia, interdum deficientia; tertiaria axillaria, latiuscula. Interradialia, primaria majuscula, diametris æqualibus; secundaria decem, binata, dimidio dolabriformia. Distichalia decem, per duos cingulos disposita, inferiora peroblique trapezoidea. Interdistichalia quinque, radialibus imposita, simplicia. Brachia decem. Digiti viginti, simplices, lanceolato-lineares, planiusculi, binati; articuli tenues, linea longitudinali, media, fulminata duplicati, exceptis basalibus, transversalibus, integris. Pori ambulacrales viginti, majusculi ante basin digitorum canaliculo brevi cum canali digitali ambulacrali communicant. Interdigitalia nulla vel extus saltem invisibilia. Columna robusta; articuli tenues, anulis latiusculis, elevatiusculis, distantibus cincta.

Vulgo describunt auctores distichalia superiora ut integra, sed re vera tria coadunata exstant, quod aperte ostendunt non solum exempla Suecica, sed etiam Eifeliana, quæ possideo rite præparata. Perisoma ventrale longiusculum, cylindræum, dissepimentis decem laminaribus in totidem loculamenta longitudinaliter divisum, in quibus digiti sub quiete recipiuntur. Laminis hisce demtis apparet perisoma ventrale conicum, concavum, sursum in tubum angustatum et omnino e verticillis constructum, ut apud Callicrinum. Costæ vero, quæ in hoc genere abbreviatæ, apud Eucalyptocrinum in alas membranaceas expanduntur, per totam longitudinem tubi continuatas. Laminae, marginem exteriorem attingentes, in duas partes inæquales divisæ sunt, inferiorem et superiorem. Lamina verticalis inferior, interradialibus imposita, maxima, elongata, tenuis, tubo fere duplo longior, sursum extrorsumque dilatata, deorsum angustata, introrsum cum laminis abbreviatis verticillorum tubi intermediarum duorum connata. Lamina superior sursum dilatata et incrassata, antrorsum late canaliculata, mediumque versus uncinatim reflexa; pars basalis subverticalis inter digitos posita; pars reflexa, horizontalis, ambitum verticis protegit laciniis inæqualibus, spathulatis. Vertex corporis planus, medio lente depressus, foramine centrali, tetragono, assulis sex l. octo minoribus circumdato; apertura ipsa foraminis assulis minutis, obsoletis clausa.

110. E. speciosus ANG.

Tab. V, fig. 3, 3 a. Tab. XXIX, fig. 27—29, 32—34.

Assulæ varie ornata, centro umbonata. Digiti crassi; articuli cristâ transversali undulatâ ornati. Laminae interbrachiales lineâ vermiculatâ decoratæ. Longit. corporis 62 millim. — Loc. nat. Hau-sand, Fleringe et Lansa, Fårö Gotlandiæ. M.R.

111. E. excellentissimus ANG.

Tab. V, fig. 5.

Assulæ costis radiantibus, subundulatis. Radiale basale costis quatuor l. sex solidiusculis, in basalia secundi ordinis continuatis. Latit. calycis 40 millim. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ. M.R.

112. E. elegantissimus ANG.

Tab. XXIV, fig. 15.

Assulæ striis radiantibus punctuosis ornata, medio umbonata. Longit. corporis 10 millim. — Loc. nat. Visby et Likkershamn Gotlandiæ. M.R.

113. E. decoratus ANG.

Tab. V, fig. 4, 4 a.

Assulæ rugis undulatis, radiantibus, centro læves. Latit. calycis 40 millim. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ. M.R.

114. E. plebejus ANG.

Tab. V, fig. 7.

Assulæ planiusculæ, lævissimæ; digiti crassi, lati. — Loc. nat. Gotlandia.

115. E. ovatus ANG.

Tab. V, fig. 1, 2, 2 a.

Sublævis, assulæ æquabiles, convexæ; margo supremus laminarum interbrachialium medio sulco tenui, longitudinali. Longit. corporis 36 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

116. E. rigens ANG.

Tab. IX, fig. 13. Tab. XXIV, fig. 16—19 b, 21. Tab. XXIX, fig. 30, 31.

Species E. ovato affinis, differt tamen assulis convexioribus, leviter scabriculis, et formâ verticilli apicalis laminarum interbrachialium, quarum margo supremus planus, obtuse acuminatus. Longit. corporis 45 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

Gen. **Hypanthocrinus** PHILLIPS p. p.

1839. PHILLIPS apud MURCHISON, Silurian System, p. 672.

Corpus ovatum, oblongum l. cylindraceum. Calyx cyathoideus, lævis. Basalia quatuor, extus visibilia, transversa, inæqualia, hexagona, basi in anulum, apicem columnæ cingentem, connata. Radialia 3×5 : primaria transversa, hexagona; secundaria subquadrata; tertiaria axillaria, late pentagona, apice acuta, latere utroque distichale portantia. Interradialia primaria quinque, majuscula, octangularia, diametro longitudinali transversalem superante; secundaria decem binata, dolabriformia, majuscula, pentagona, apice truncata. Distichalia decem, per duos verticillos disposita: primaria majuscula, lata, apice truncata; secundaria axillaria, digitifera^{*)}). Interdistichalia quinque minora, radialibus imposita, panduræformia. Brachia decem bi-digitifera. Digiti viginti, angusti, elongato-lanceolati, simplices; articuli tenues, medio linea longitudinali fulminata duplicati. Pori ambulacrales duo majusculi, ante basim digitorum, canali brevi cum canali digitorum communicant. Interdigitalia nulla l. saltim extus non visibilia. Perisoma ventrale cylindraceum l. ovale, tubiferum, truncatum, dorsuali triplo l. vix triplo longius, dissepimentis decem laminaribus longitudinaliter in totidem loculamenta divisum. Hisee laminis demtis apparet conus centralis sursum in tubum angustatus, ut apud genus Eucalyptocrinum. Laminæ membranaceæ jam descriptæ tubum cingentes, omnino ut apud Eucalyptocrinum, quæ vero marginem interiorem cylindri attingunt, integræ sunt, nec, ut apud hunc, in duas partes divisæ. Tubus verticis omnino centralis, cylindraceus, apice convexus foramineque perforatus. Columna angusta, extus anulis latis, lævibus cincta et quasi late articulata apparet, canali centrali pentagono; articuli, facie glenoidea convexa, ex duobus anulis compositi, anulo interiore radiato, radiis crassiusculis, exteriori lævi, radiis omnino destituito.

117. H. regularis HISINGER.

Tab. VI, fig. 2, 2 a—c. Tab. XXIV, fig. 11, 11 a—f, 20. Tab. XXIX, fig. 35—64, 71.

1837. *Actinocrinites regularis*, HIS. Leth. Suec. Suppl. secundum p. 6, Tab. XXXIX, fig. 6.

Corpus ovatum, cylindraceum. Assulæ læves. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ. M.R.

118. H. minor ANG.

Tab. VI, fig. 1, 1 a. Tab. XXIV, fig. 9, 9 a, 13.

Corpus cylindraceum, cyathoideum, basi angulata. Tubus ventralis cylindraceus. Forsitan stâtus tantummodo juvenilis Hypanth. regularis. — Loc. nat. Visby et Lickershamn Gotlandiæ. M.R.

*) Apud Hypanthocrinum pyriformem etiam distichale intermedium apparet, quod denotare videtur distichalia primaria normaliter cum interradsialibus conflata esse.

119. *H. granulatus* LEWIS.

Tab. VI, fig. 3, 3 a—b, fig. 4 varietas ejusdem. Tab. XXIV, fig. 10, 10 a—b, 12, 12 a—c.

Tab. XXIX, fig. 69, 70, 72.

1847. LEWIS, On a new species of Hypanthocrinites from the Wenlock shale of Walsall, London Geological Journal and Record of discoveries in British and foreign Palæontology, Part. III, p. 99, Pl. 21, fig. 1—5.

Corpus ovatum, lævissimum, assulis applanatis contextum. Variat assulis subconcavis. Articuli digitales lineis punctatis, longitudinalibus ornati. Laminae interbrachiales ex parte inferiore granulatae, ex superiore parte laeves, sulcatae. — Loc. nat. Visby Gotlandiae. M.R.

FAM. II. CORYMBOCRINIDÆ.

Gen. *Corymbocrinus* ANG.

(*Κόρυμβος*, corymbus).

Corpus corymbosum. Calyx campanulatus l. cupuliformis, subtus æquilaterus. Basalia quatuor, solummodo intus conspicua, ibique conum brevem, apice perforatum, formantia. Radialia 3 × 5: primaria quinque transversa, canaliculata, margine inferiore inflexo cum cono basali sutura juncto; secundaria quinque linearia; tertiaria quinque axillaria. Distichalia viginti, obliqua, per duos cingulos, inferiora majora, superiora minora, digitifera. Interradialia decem, per duos cingulos disposita, antrosum sensim minora, inferiora maxima, diametro longitudinali transversalem superantia, omnia radialia primaria tangentia. Brachia decem, basi latiuscula. Digiiti binati, longissimi, repetito dichotomi, extus planulati, basi latiores. Articuli duplicati, inferiores quinque crassiores, integri. Pinnulae longissimae. Interbrachialia decem, marginibus interradyalium superioribus imposita, duos cingulos formant. Interdistichalia circiter viginti. Columna moniliformis, articulis crassis ex duobus anulis conflatis, quorum exterior tenuis, laevis, interior radiatus, foramine magno quinquelobo medio perforatus.

120. *C. polydactylus* M'COY.

Tab. IX, fig. 1, 6—12. Tab. XXI, fig. 17.

1855. *Eucalyptocrinus polydactylus* M'COY apud SEDGWICK, Synops. Pal. Foss., p. 58, Tab. I D, fig. 2.

1873. SALTER, Catal. p. 120.

Variat (Tab. XXI, fig. 17) interradyalibus atque interaxillaribus brevibus et latis. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiae, frequenter. M.R.

121. *C. grandis* ANG.

Tab. IX, fig. 2, 2 a, 3.

Assulae convexae. Radiale primum margine superiore deorsum angulato; secundum quinquangulare. Interaxillaria multa, minuta. Longitudo fragmenti corporis 43 millim. — Loc. nat. Klinteberg et Follingbo Gotlandiae. M.R.

122. *C. corolliferus* HISINGER.

Tab. XXIII, fig. 19.

1840. *Cyathocrinites ? corolliferus*, HIS., Leth. Suec. Suppl. sec., p. 6, Tab. XXXIX, fig. 3 a—c.

Longit. calycis 15 millim. Latit. 22 millim. — Loc. nat. Klinteberg Gotlandiae. M.R.

123. *C. laevis* ANG.

Tab. XXIII, fig. 20.

Assulae omnes laeves. Interradialia tertiaria duo; primaria elongato-enneaëdra. Longit. calycis 18 millim. — Loc. nat. Gotlandiae. M.R.

124. *C. grandistellatus* ANG.

Tab. IX, fig. 4. Tab. XXIII, fig. 18, 21.

Assulae tumidae, scrobiculatae. Longit. corporis 45 millim. — Loc. nat. Follingbo et Ahr, par. Fleringe, Gotlandiae. M.R.

125. *C. Panderi* ANG.

Tab. IX, fig. 5. Tab. XXIII, fig. 17, 17 a—b.

Assulae punctatae. Interradiale stellatum. Longit. corporis 40 millim. Varietas in tabula IX, fig. 5, depicta in collectione Professoris E. WALMSTEDT Upsaliae asservatur. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiae. M.R.

Gen. *Abacocrinus* ANG.(*Ἀβάξ*, abacus).

Corpus oblongatum. Calyx ovalis, subglobosus, inæquilaterus (quatuor scilicet latera æqualia), ex assulis numerosis conficitur, basi ample umbilicatus alveolo ad apicem columnæ recipiendum. Basalia quatuor, inæqualia, extus visibilia. Radialia 3×5 addito uno anali: primaria transversa, inæqualia, penta- l. heptagona; secundaria sexangularia; tertiaria axillaria. Interradialia tria, quorum superiora duo inferiore minora. Distichalia viginti, per duas series disposita; superiora axillaria. Interdistichalia duo majuscula. Interbrachialia numerosa, parva. Anale inferius maximum, octangulare; analia superiora numerosa, per series plures longitudinales disposita; series intermedia distinctior et robustior. Brachia decem lata, compressiuscula, longitudine calycem quadruplo superantia, dichotoma. Articuli digitorum breves, duplicati; inferiores simplices, assulis interradsialibus simillimi. Pinnulæ longissimæ. Columna modica; articuli crassiusculi, æquales, subdistantes, canaliculo centrali, quinquangulari.

126. *A. tesseracontadactylus* GOLDF.

Tab. XVIII, fig. 2—5. Tab. XXIII, fig. 23, 23 a.

1833. *Actinocrinites tesseracontadactylus* GOLDFUSS, Petref. Germaniæ, I, p. 194, tab. LIX, fig. 5.

Differt ab *Ab. Cappelleri* assulis calycinis tumidioribus, interdigitalibus supremis quasi connatis. Longit. corporis 100 millim. — Loc. nat. Follingbo et Visby Gotlandiæ. Specimen a GOLDFUSS descriptum et delineatum, in Museo Universitatis Bonnensis asservatum, a Prof. C. J. ANDRÆ benevole nobis communicatum, e stratis prope Visby originem ducit. M.R.

127. *A. Cappelleri* ANG.

Tab. III, fig. 8, 8 a.

1740. *Encrinus sive Stella Gothlandica lapidea*, & radiis sive digitis & ossiculis quasi metacarpi imo & pediculo ex trochitarum articulationibus, diversa ab encrinis hactenus notis. M. A. CAPPELLER in Epistola apud J. TH. KLEIN, Sciagraphia Lithologica etc., p. 13, fig. 1 A & B.

Corpus elongatum, subracemosum. Calyx ex assulis numerosis, hexa- l. octogonis, modicis constat. Basalia transversa, extus visibilia. Parabasalia sex, quorum quatuor, basi acuta, inter basalia sunt posita; duo, scilicet anale et dorsuale, basi plana, basalibusque imposita. Radialia primaria latiuscula, pentagona; secundaria longiuscula, hexagona; tertiaria axillaria. Interradialia tria ($\frac{2}{3}$), majuscula; inferius majus, hexagonum, radialia primaria et secundaria tangens; superiora duo radialia secundaria tangentia. Interbrachialia plura: duo, inferius majusculum, sexangulare, et superius pentagonum, distichalia tangentia; quæ interaccessoria tangunt duo, ovalia, binata; reliqua circiter octo minuta. Interdistichale unicum, heptagonum. Interpalmaria (8—9) minora, subbinata. Analia numerosa, subseriata; series intermedia distinctior; inferius unicum majus, diametris æqualibus, octogonum, radialia primaria et secundaria tangens, parabasalia apice truncato impositum; tria his imposita sunt, quorum intermedium longiusculum, sexangulare; lateralia radialia tertiaria tangunt, sex sequentia distichalia tangentia. Denique assulæ complures per varios cingulos (5—6) dispositæ apicemque versus sensim decrescentes, quarum quæ cingulum infimum formant paullo majores sunt, assulasque digitorum accessorias tangunt. Digniti repetito dichotomi, duplicati. Long. corporis 65 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

128. *A. tessellatus* ANG.

Tab. XVIII, fig. 6. Tab. XXIII, fig. 24—25.

Assulæ calycinæ radiis sex elevatis ornatae. Long. corporis 32 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

129. *A. medius* ANG.

Tab. XXIV, fig. 1.

Interdigitalia serie singula. Columna foramine magno pentagono. Long. corporis 42 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

FAM. III. MELOCRINIDÆ.

Gen. *Melocrinus* GOLDF.1826. *Melocrinites* GOLDF., Petr. Germ. I, p. 197.1859. *Mariacrinus* HALL, p. p. Pal. N.York, Vol. III, p. 104.

Corpus elongatum. Calyx cyathoides, subæquilaterus. Basalia quatuor pentagona, patelliformia. Radialia quindecim, per tres verticillos disposita: primaria quinque, diametris æqualibus, præter anale

longiusculum. Analia numerosa. Distichalia per duos verticillos disposita; superiora axillaria, digitifera. Brachia decem, repetito dichotoma, articulis cuneatis, margine alternatim latioribus, pinnulis elongatis crassiusculis.

130. *M. spectabilis* ANG.

Tab. XXI, fig. 1, 2.

Assulæ omnes medio impressæ. Radialia primaria transversa, heptaëdra. Interradialia numerosa, in sex verticillis. Brachia bifida, digitis unilateralibus. Long. corporis 68 millim. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

131. *M. Volborthi* ANG.

Tab. VII, fig. 8—11. Tab. XVIII, fig. 16. Tab. XXIII, fig. 30—32. Tab. XXVI, fig. 23.

Assulæ calycinæ numerosæ. Interradialia tredecim. Analia quindecim, radiata. Columna foramine minimo quadrilobo. Digi teretes, fulminati, repetito dichotomi, pinnulis crassis. Varietas hujus speciei in Tab. XXIII, fig. 30—32, depicta. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

132. *M. (?) rigidus* ANG.

Tab. XXI, fig. 3.

Digi crassi, robusti, calycem longitudine multoties superantes, pinnulis rigidis, raris. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

133. *M. granulatus* ANG.

Tab. XXVI, fig. 21, 21 a.

Assulæ minute granulata. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ. M.R.

134. *M. angustatus* ANG.

Tab. XXVI, fig. 22.

Calyx elongatus, cupuliformis, quinquangularis. Assulæ radiales medio carinâ obtusâ longitudinali, margine plicato, ut etiam interradales. — Loc. nat. Gotlandia.

FAM. IV. CYRTIDOCRINIDÆ.

Gen. **Cyrtidocrinus** ANG.

(*Kyrtis*, nassa).

Basalia quatuor, humilia, inæqualia. Parabasalia quinque, penta- vel hexagona. Assula minuta rhombea, singula, inter parabasalia et radialia posita. Radialia primaria quinquangularia, obliqua, lata, clypeiformia.

135. *C. facietatus* ANG.

Tab. XXI, fig. 13, 14, 14 a.

Assulæ calycinæ margine angusto scutulum interius nubilum cingente vel zonis duabus obscurioribus ornata. — Loc. nat. Gotlandia?

SECTIO III. PENTAMERA.

FAM. I. PISOCRINIDÆ.

Gen. **Pisocrinus** DE KONINCK.

1858. DE KONINCK, Sur quelques Crinoïdes paléozoïques nouveaux de l'Angleterre & de l'Écosse, *Bullet. Acad. Roy. de Belgique*, 2^{me} Sér., Tome IV, p. 104.

1873. SALTER, *Catal. Cambr.*, p. 128.

Corpus elongatum, angustum. Calyx brevis, inæquilaterus, subglobosus l. cyathoideus. Basalia quinque inæqualia, quorum tria majora, pentagona, duo minora, rhomboidea. Radialia per duos cingulos disposita: primaria quinque, et anale, valde inæqualia, duo scilicet majora et tria minora, lunulata, analeque maximum, heptagonum, apice acutum; secundaria rectangularia, digitifera. Interdigitalia nulla l. interdum unicum. Brachia quinque. Columna cylindracea, articulis longiusculis, teretibus, simplicibus, canalicque centrali.

136. P. pilula DE KONINCK.

Tab. IV, fig. 4, 4 a—b.

1858. DE KONINCK, Bull. Ac. Roy. de Belgique, 2:me Sér., Tome IV, p. 106, Pl. II, fig. 8—11.

1873. SALTER, Cat. Cambr., p. 128.

Species minima hujus generis, calyce urceolato. Parbasalia majuscula, æqualia, triangularia, antrorsum acuminata. Radialia primaria æqualia, lunulata, secundaria subquadrata. — Loc. nat. Petesvik, Habblingbo et Qvinnegårda, parœciæ Hafdhem, Gotlandiæ, ubi Dr J. G. LINNARSSON exempla plura invenit. M.R.

137. P. pocillum ANG.

Tab. IV, fig. 3, 3 a.

Radialia primaria quinque inæqualia, acuta, posteriora minora, margine superiore plano, anteriora oblongula, clypeiformia; secundaria rectangularia. Interradiale oblongulum, sexangulum. Anale oblongum, acutum, heptagonum. Brachia articulis simplicibus, longissimis, longitudine latitudinem quintuplo superantibus. Columna apice antrorsum incrassata. Affinibus paullo robustior, testa ornatissima instructus. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

138. P. ollula ANG.

Tab. IV, fig. 2, 2 a—d.

Calyx abbreviatus, hypocrateriformis. Testa crassiuscula, lævissima. Basalia quinque inæqualia, quorum tria majuscula, subtriangularia, acuta, duo minora, rectangularia. Radialia primaria inæqualia, posteriora duo dorsualeque conformia, minora, anteriora duo inter se similia, latiora. Anale magnum, latiusculum, subtus emarginatum, antrorsum apice productum, acuminatum. — Loc. nat. Klinteberg Gotlandiæ. M.R.

139. P. flagellifer ANG.

Tab. IV, fig. 1, 1 a—e.

Calyx brevis, cyathoides, lævissimus, testa crassa. Radialia primaria quinque, inæqualia, posteriora duo et dorsuale angusta, lunulata, inter se similia, intermedia, duo lata et inter se similia; secundaria subrectangularia. Anale magnum, diametro longitudinali transversalem superante, apice acuminatum. Brachia quinque; articuli simplices, tertiusculi, longitudine latitudinem plus triplo superantes. Columna angusta, apice incrassata, articulis crassiusculis. Longit. corporis 38 millim.; lat. calycis 5 millim. — Loc. nat. Petesvik, Habblingbo Gotlandiæ. M.R.

FAM. II. STELIDIOCRINIDÆ.

Gen. **Stelidiocrinus** ANG.

(Στηλίδιον, columella).

Basalia quinque, æqualia, alta, tetraëdra, superne acuminata. Radialia tria, per quinque series: primaria transversa, lata, lunulata, heptaëdra, margine superiore excavato; tertiaria pentaëdra, axillaria. Brachia bidigitata, digitis articulis fulminatis, pinnulis longis. Interradialia quatuor, magna, ovalia, polyedra. Anale inferius heptaëdram, octo minoribus superpositis. Perisoma ventrale assulis magnis contextum. Facies glenoidea columnæ margine crenulato.

140. S. capitulum ANG.

Tab. XVII, fig. 5, 5 a—g.

Basalia tumida, extus dilatata, anulum circa basin calycis formantia. Interradialia carinâ mediâ longitudinali instructa. Variat assulis lævibus vel lineolis minutis ornatis, assulis ventralibus margine crenulato. Long. calycis 12 millim. — Loc. nat. Lickershamn et Visby Gotlandiæ, frequentissime. M.R.

141. S. lævis ANG.

Tab. XV, fig. 20, 20 a. Tab. XXVII, fig. 3, 3 a. Tab. XXVIII, fig. 7, 7 a, 7 b.

Assulæ læves vel leviter lineolatae. Interradiale primum elongatum, minore umbonato superimposito. Analia quatuor uniserialia, decrescentia, minoribus ad latera. Long. corporis 22 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

142. S. ? ovalis ANG.

Tab. XIX, fig. 6.

Corpus ovatum. Calyx latus, brevis. Brachia quadridigitata. Long. corporis 41 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

Gen. **Harmocrinus** ANG. = *Dimerocrinites! Diglique*
(*Aquòs*, articulus).

Basalia quinque minuta, subæqualia, angulosa. Radialia 3×5 ; secundaria minima. Interradialia numerosa, sex ad octo. Interaxillaria tria. Brachia bidigitata; articulis digitalibus fulminatis, pinnulis longissimis.

143. **H. longimanus** ANG.

Tab. XXI, fig. 6, 7. E. 1155

Radialia et axillaria elevata. Brachia calycem ter longitudine superantia. Long. corporis 35 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

FAM. III. CHIROCRINIDÆ.

Gen. **Chirocrinus** SALTER.

? 1852. *Calceocrinus* HALL, Pal. New York, Vol. II, p. 352, Pl. 85, fig. 5—6.

1859. *Cheirocrinus* SALTER, Siluria, Edit. 3, p. 535. — 1860. J. HALL, 13th Report State Cab. p. 123, fide SHUMARD, Catal. Palæoz. Fossils, Transact. Ac. Sciences of St. Louis, Vol. II, 1866, p. 358. — 1873. SALTER, Catal. Mus. Cambr., p. 118, nec *Cheirocrinus* EICHWALD 1856, Bull. Moscou, p. 123.

Pendulocrinus AUSTIN in Mss, fide SALTER, Siluria, Ed. 3, p. 535.

144. **C. gotlandicus** ANG.

Tab. XVI, fig. 6—14.

Brachia repetito dichotoma, alutacea, ut etiam assulæ calycinæ. Columella tenuis, articulis alternatim crassis et curvis. Chirocrino *Fletcheri* affinis, tamen differt brachiis lævibus l. sine nodis. Long. corporis 40 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

FAM. IV. CYATHOCRINIDÆ.

Gen. **Cyathocrinus** MILLER.

1821. *Cyathocrinites* J. S. MILLER, p.p., Natural History of the Crinoidea, p. 85.

Corpus elongatum. Calyx brevis, cyathoideus, inæquilaterus. Basalia quinque, plus minusve distincta. Parabasalia cum anali quinque, ex his quatuor apice acuta, quintum sive anale apice truncatum. Radialia per plures verticillos disposita: primaria quinque lunulata, præter anale, parvum, sexangulare; secundaria et sequentia libera, digitiformia, inæqualia; suprema axillaria. Distichalia digitiformia. Analia: singulum parabasali anali truncato impositum; superiora in assulas, tubum constituentes, abeunt. Brachia quinque elongata, repetito dichotoma, sensim attenuata. Digiiti decem, liberi, repetito dichotomi; articuli simplices, teretes, inæquales. Pinnulæ perbreves l. abortivæ. Interdigitalia pauca. Perisoma ventrale planiusculum; tubus validus ex assulis numerosis conficitur. Columna teres; articuli tenuissimi, confertissimi, foramine centrali modico, quinque-lobato.

145. **C. longimanus** ANG.

Tab. XX, fig. 4, 6, 7. Tab. XXVI, fig. 4, 4 a—c, 5, 5 a—b.

Tubus ventralis crassus ex assulis contextus planis vel subconcavis, hexa- vel heptaëdris, marginibus crenulatis. Articuli digitorum alutacei; pinnulæ perbreves, conicæ. Hujus speciei varietas forsitan etiam est forma in Tab. XX, fig. 6 delineata, tubo tenuiori, quæ in collectione Professoris E. WALMSTEDT Upsaliæ continetur. Long. corporis 102 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

146. **C. acinotubus** ANG.

Tab. XX, fig. 5.

Assulæ calycinæ tumidæ, convexæ. Tubus ventralis crassus, ex assulis scabris, convexiusculis contextus. Radii postici radiis anticis multo breviores. Long. corporis 90 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

147. **C. ramosus** ANG.

Tab. XX, fig. 1—3.

Basalia humilia. Radialia quatuor vel quinque. Anale infimum heptaëdram magnum, minore quadrato vel pentaëdro imposito. Tubus ventralis ex assulis minutis polyedris constat; rudimenta pinnularum semiglobosa. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ, frequens. M.R.

148. **C. zonatus** ANG.

Tab. VI, fig. 5.

Parabasalia zonis pluribus notata. Brachia duo anteriora articulis basalibus quatuor. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ. M.R.

149. C. monilifer ANG.

Tab. XXI, fig. 15, 15 a.

Assulæ punctis elevatis, figuras moniliformes representantibus ornatae. Long. calycis 11 millim. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ. M.R.

150. C. distensus ANG.

Tab. III, fig. 6, 6 a.

Corpus oblongatum, basi subdilatatum. Calyx exiguus, brevissimus, subpatelliformis. Basalia quinque minuta. Parabasalia quinque, quorum quatuor apice acuto, quintum anale l. impar, apice truncato. Radialia primaria quinque, angusta, lunulata, cum anali parvo cuneato superiorem partem calycis constituunt; secundaria et tertiaria libera, inæqualia, basi late distantia, una cum distichalibus basim brachiorum formant, posteriora duo secundaria axillaria, anteriora tria vero tertiaria axillaria. Distichalia quoque libera sunt. Brachia quinque, elongata, repetito dichotoma, ascendentia. Columna modica articulis tenuissimis. Long. corporis 50 millim. — Loc. nat. Djupvik in parœcia Eksta Gotlandiæ. M.R.

151. C. alutaceus ANG.

Tab. IV, fig. 6, 6 a. Tab. XXIII, fig. 10, 10 a, b, 11.

Assulæ calycinæ alutacæ. Radii posteriores anterioribus longiores. Brachiorum articuli alii breves, alii longiores, lineolis punctatis ornati. Long. corporis 45 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

152. C. granulatus ANG.

Tab. XVI, fig. 1—3.

Margines articulorum digitalium granulati; articuli lati. Radii biarticulati. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

153. C. muticus ANG.

Tab. XXI, fig. 22—23.

Calyx parvus. Basalia et parabasalia humilia. Radii quadriarticulati. Brachia gracilia et tenuia. Long. corporis 30 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

154. C. striolatus ANG.

Tab. XIX, fig. 9, 9 a.

Assulæ radiatim striolatae. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

155. C. interbrachiatus ANG.

Tab. XXIII, fig. 2, 2 a. Tab. XXIX, fig. 78.

Assulæ marginatæ. Radii antici et postici quadriarticulati, illi paulullo longiores. Basis tubi ventralis cum brachio connata. Long. corporis 33 millim. — Loc. nat. Fårö Gotlandiæ. M.R.

156. C. incurvatus ANG.

Tab. XXVI, fig. 1.

Radialia duobus ordinibus: primaria brevia, lata, semilunaria; secundaria pæne triplo longiora, margine superiore expanso. Articuli digitales teretes, tuberculati. Tubus ventralis assulis inæqualibus, scrobiculatis compositus. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

157. C. glaber ANG.

Tab. XXIII, fig. 12, 13.

Radialia quatuor humilia, lata, analia duo (variat anali singulo fig. 13). Articuli digitales humiles, crebri. Long. corporis 23 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

158. C. lævis ANG.

Tab. XXVI, fig. 2, 2 a, 3, 3 a—b.

Basalia pentaëdra, æqualia. Parabasalia hexaëdra. Radialia primaria magna. Tubus ventralis assulis valde inæqualibus. — Loc. nat. Visby et Lickershamn Gotlandiæ. M.R.

Gen. **Sicyocrinus** ANG.

(Σίκυος, cucumis).

Corpus corymbosum. Calyx cyathoides. Basalia quinque, subæqualia. Parabasalia quinque, hexaëdra, una cum interradiali parvo, rhomboideo. Radialia 4 × 5: primaria quinque majora lunulata. Anale secundum maximum. Analia superiora tubum ventralem conficiunt. Brachia quinque, articulis longiusculis, inæqualiter dichotoma. Columna quinquangularis^{*)} ex articulis latioribus et angustioribus constat, foramine centrali.

^{*)} In figuris perverse delineata.

159. *S. cucurbitaceus* ANG.

Tab. IV, fig. 9. Tab. XVI, fig. 5.

Radialia quatuor in quaque serie, quartum axillare, primum latum, breve, cetera longa, gracilia. Anale secundum radialibus majus, reliqua in tubum crassum, probosciformem, apice incurvatum, connata. Long. corporis 40 millim. — Loc. nat. Strata saxi arenacei ad Bursvik et Vamlingbo Gotlandiæ. M.R.

Gen. *Euspirocrinus* ANG.

("Ευσπειρος, pulchre nexus).

Corpus subpyriforme. Calyx breviusculus, cyathoideus, inæquilaterus. Basalia quinque subæqualia. Parabasalia quatuor acutiuscula; quintum, anale, apice subovato truncato. Radialia primaria quinque, majuscula, sublunulata. Analia duo: inferius longiusculum, heptagonum, apice truncatum, superius minus, sexangulare, truncatum. Interradiale singulum a dextro radii analis, parabasalia duo, anale et radiale tangens. Perisomatis ventralis ambulacrorum series quinque, apice furcata. Tubus analis angustus, assulis majusculis, paucis. Brachia serie repetito dichotoma, apice circinatim involuta. Columna brevis, canali distincto perforata, articulis alternatim majoribus et minoribus.

160. *E. spiralis* ANG.

Tab. IV, fig. 7, 7a—e.

Assulæ calycinæ tumidæ, convexæ, læves. Radialia tria l. quatuor, angusta, lata. Tubus ventralis erectus, assulis magnis, polyedris. Columna foramine pentagono. Long. corporis 21 millim. — Loc. nat. Follingbo et Klinteberg Gotlandiæ. M.R.

Gen. *Ophiocrinus* ANG.

("Οφις, serpens).

Calyx brevis, cyathoideus. Basalia quinque humilia. Parabasalia totidem, quadruplo majora, hexaëdra. Radialia tria vel quatuor in quaque serie: primaria maxima, lata, semilunaria. Brachia crassa, robusta. Tubus analis ex assulis numerosis parvis, cochleatim convolutus. Articuli columnæ e duobus anulis constant, foramine centrali minimo, pentagono.

161. *O. crotalurus* ANG.

Tab. IV, fig. 8, 8a—c.

Assulæ tubi ventralis seriebus pluribus longitudinalibus dispositæ, apice convoluto. Long. corporis 15 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

Gen. *Botryocrinus* ANG.

("Βοτρυς, uva).

Corpus elongatum, dendroideum, corymbosum. Calyx parvus, cyathoideus. Basalia quinque alta, pentaëdra. Parabasalia quinque hexaëdra. Radialia tria in unaquaque serie; primaria maxima, heptaëdra, lata. Anale singulum clypeiforme. Interradiale singulum, rhombeum, anale, radiale primum et parabasalia duo tangens. Brachia bidigitifera; digiti ramusculos alternantes, multifidos emittunt. Tubus ventralis crassus, curvus, apice obtuso. Columna articulis tenuissimis, creberrimis.

162. *B. ramosissimus* ANG.

Tab. XX, fig. 8. Tab. XXIII, fig. 14.

Tubus ventralis apicem versus assulis elevatis ac radiatim costatis. Long. corporis 104 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

163. *B. corallum* ANG.

Tab. XV, fig. 9a. Tab. XXIII, fig. 15, 16, 16a. Tab. XXIV, fig. 4.

Tubus ventralis assulis minutis, lavibus. Long. corporis 35 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

FAM. V. EUCRINIDÆ.

Gen. *Eucrinus* ANG.

Rhodocrinus SCHULTZE, p. p., Monogr. d. Echinodermen des Eifeler Kalkes, Denkschriften d. Ak. Wiss. Wien 1866, Vol. XXVI, p. 57.

Corpus corymbosum. Calyx acetabuliformis, inæquilaterus. Basalia quinque, parva, irregulariter pentagona. Parabasalia quinque breviuscula, hexagona, apice acuta (excepto anali truncato), longi-

tudine latitudinem æquantia, basi callosa. Radialia 3×5 , per tres verticillos disposita: primaria quinque lata, diametro transversali longitudinalem superante, assula infima anali longiore et angustiore, apice truncata; secundaria quinque transversa, lata; tertiaria quinque axillaria, apice superiore acuminata. Distichalia viginti per duos verticillos; secundaria digitifera. Digiti viginti, simplices; articuli duplicati. Pinnulæ longissimæ.

164. *E. lævis* ANG.Tab. VI, fig. 8, 8 a. *Ec. 11561*

Assulæ lævissimæ. Interradialia octo vel decem. Analia undecim. — Loc. nat. Gotlandia (ad Visby?). M.R.

165. *E. quinquangularis* ANG.Tab. X, fig. 5—14. *[fig. 5, 6 = Ec. 11525]*

Calyx crateriformis. Radii distichales costati, margine stellulatum impressi. Interradialia numerosa, octo vel plura. Interaxillaria tria, serie unica. — Loc. nat. imprimis circa Likkershamn Gotlandiæ, frequens. M.R.

166. *E. minor* ANG. *[Anthemsicium]*

Tab. XV, fig. 5.

Assulæ margine radiatæ vel crenulatæ, medio læves, umbonatæ. Long. corporis 46 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.

167. *E. ornatus* ANG.

Tab. VI, fig. 7, 7 a—b.

Assulæ stellulatæ, radiatæ. Interradialia novem. Distichalia circiter quinque. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ M.R.

168. *E. interradians* ANG. *Ec. 11562*Tab. VI, fig. 6. Tab. XIX, fig. 1, 7—8. *Ec. 11563*

Assulæ dorsuales lævissimæ. Interradialia numerosa, infima tria majuscula. Analia numerosa, in medio radio sex. Interdistichalia sex vel septem. Interdigitalia minuta. Long. corporis 18 millim. — Loc. nat. Visby Gotlandiæ. M.R.

169. *E. speciosus* ANG. *Ec. 11534*Tab. XIX, fig. 2, 2 a. Tab. XXIII, fig. 7, 7 a—b. Tab. XXVI, fig. 26, 26 a. Tab. XXVII, fig. 2. *Ec. 11535*Assulæ raripunctatæ. Basalia humillima. Parabasalia basi nodosa, hexaëdra. Radialia 3×5 . Brachia quadridigitata. Articuli digitales longitudinaliter lineolati. Series analium media jugata, assulis 14 analibus, lateralibus. Numerus interradians variat, undecim vel plura. Foramen columellare stella minuta, quinquangularis. Long. corporis 55 millim. — Loc. nat. Follingbo Gotlandiæ. M.R.170. *E. venustus* ANG. *[Anthemsicium]*

Tab. XV, fig. 7 et 16.

Assulæ omnes stellulatæ. Radialia duo. Interradialia pauca, quorum tria uniseriata. — Loc. nat. Gotlandia. M.R.

FAM. VI. ENALLOCRINIDÆ.

Gen. *Enalocrinus* D'ORBIGNY.

1850. D'ORBIGNY, Prodr. de Pal., I, p. 46. — 1851. Cours élém. de Pal., II, fasc. 1, p. 142.

Corpus amplum, expansum, corymbosum. Calyx crateriformis, inæquilaterus, ex assulis crassis confectus. Basalia quinque subæqualia, angusta. Parabasalia quinque, maxima, hexagona, apice acuta (excepto anali truncato). Radialia varia per tres verticillos disposita: primaria, una cum anali sex, maxima, latissima, lunulata; secundaria linearia, angusta, interdum abortiva; tertiaria minuta, axillaria, digitifera. Analia usque ad quinque, inferius polygonum, suprema minima, linearia. Interradialia nulla. Brachia quinque. Digiti binati, inæqualiter repetito dichotomi, basi connati, apicibus liberis. Perisoma ventrale assulis numerosis tectum; juxta margines brachiorum assulæ majores areas petaloides, lanceolatas formant. Columna crassa; articuli tenues, angusti, canali amplissimo, subrotundo l. subpentagono. Radix elongata, radiculis numerosis, teretibus, quinquemariam exeuntibus.

171. *E. scriptus* HISINGER.

Tab. VII, fig. 1—3 a. Tab. IX, fig. 18, 19. Tab. XXV, fig. 1—7. Tab. XXVII, fig. 17—20 a.

1828. *Cyathocrinites?* HIS., Anteckn. IV, p. 217. Tab. V, fig. 9. Tab. VII, fig. 1.1831. *Apiocrinites? scriptus* et *punctatus* HIS., Anteckn. V, p. 123. — Esquisse d'un tableau des pétrifications de la Suède, p. 23. — 1837. Leth. Suec., p. 89. Tab. XXV, fig. 1 et 2.

1840. *Millericrinus scriptus* D'ORBIGNY, Hist. nat. gén. et partic. des Crinoïdes, p. 94. Pl. XVI, fig. 29. —
Millericrinus punctatus D'ORB., ib. p. 94. Pl. XVI, fig. 30.
 1850. *Enallocrinus scriptus et punctatus* D'ORBIGNY, Prodr. Pal. Stratigr. Vol. I, p. 46.
 1854. *Enallocrinus punctatus* SALTER apud MURCHISON, Siluria, Ed. 2, p. 218.
 Loc. nat. Klinteberg Gotlandiæ. M.R.

172. *E. assulosus* ANG.

Tab. XV, fig. 1—4.

Assulæ læves, numero atque forma valde variantes, sulco lato separatæ. Digni basi connati, crassi, irregulariter dichotomi; articuli transversim striati. Long. corporis 91 millim. — Loc. nat. Vestergårda in par. Sundre prope rupem Hoburg, et Klinteberg, Gotlandiæ. M.R.

FAM. VII. CROTALOCRINIDÆ.

Gen. *Crotalocrinus* AUSTIN.

1843. *Crotalocrinites* AUSTIN, Ann. Mag. Nat. Hist. Ser. 1, Vol. XI, p. 198.
 1843. *Crotalocrinus* MORRIS, Catal. British Foss. Ed. 1, p. 50. — 1854. SALTER, apud MURCHISON, Siluria, Ed. 2, p. 219. — 1855. MAC COY, Palæoz. Foss., p. 54. — 1873. SALTER, Catal. Museum of Cambridge, p. 123.
 1854. *Anthocrinus* JOH. MÜLLER, Abhandl. d. Ak. d. Wissenschaften zu Berlin f. 1853, p. 192.

Corpus elongatum, inæquilaterum. Calyx urceolatus, ex assulis verticillatis, crassis formatus. Basalia quinque, pentagona, sublunulata. Parabasalia quinque hexagona l. octogona, transversa. Radialia uniserialia, maxima, latissima; anale polygonum. Brachia quinque, basi inter se cum digitis et pinnulis juncta. Pinnulæ articulis teretibus, transversis, reticulatim unitæ rete amplissimum, plicatile conficiunt. Rima plus minusve aperta, inter brachia format areas quinque petaloideas, excavatas. Margines brachiorum assulis majoribus, seriatis. Radii lanceolato-lineares, leniter canaliculati, rima media divisi. Perisoma ventrale totum assulis variantibus tectum; assulæ ambulacrales minutæ, biseriatae, ab imis brachiis usque ad extremos digitos radiatim exeunt, quarumque numerus prout digitorum numerus magis magisque per repetitam dichotomiam increscit. Tubus analis excentricus, juxta basin duorum brachiorum positus, variat breviusculus, late conicus l. longissimus, angustus, suboctangularis, acuminatus, basis canali centrali amplo, octoplicato. Columna crassa; canalis centralis amplus, articuli tenues ut apud tubum ventralem. Radix elongata, radiculis numerosis teretibus.

173. *C. rugosus* MILLER.

Tab. VII, fig. 4. Tab. XVII, fig. 3, 3 a—b, 8, 8 a.

1808. *Turban or Shropshire Encrinite* PARKINSON, Organic Remains, Vol. II, p. 193. Pl. 15, fig. 4, 5.
 1821. *Cyathocrinites rugosus* MILLER, Nat. Hist. of Crinoidea, p. 89, f. $\frac{1}{A} - \frac{4}{B}$. — 1837. HISINGER, Leth. Suec., p. 89, Tab. XXV, fig. 3 a. — 1839. PHILLIPS apud MURCHISON, Silur. Syst. p. 672. Tab. 18, fig. 1.
 1828. *Sköldskal till en Sphæronit-boll* HISINGER, Anteckningar, Häft. IV, p. 217. Tab. VII, fig. 3.
 1843. *Crotalocrinites rugosus* AUSTIN, Ann. & Mag. N. H. Ser. 1, Vol. XI, p. 198.
 1843. *Crotalocrinus rugosus* MORRIS, Cat. Brit. Foss., Ed. 1, p. 50. — 1854. SALTER apud MURCHISON, Siluria, Ed. 2, p. 219, fig. 4—7. Tab. 13, f. 3. — 1855. MAC COY, Palæoz. Fossils, p. 55. — 1873. SALTER, Catal. Mus. Cambr., p. 123.
 1850. *Cyathocrinus rugosus* D'ORBIGNY, Prodr. de Paléont. Vol. I, p. 46.
 Loc. nat. Hoburg et Klinteberg Gotlandiæ. M.R.

174. *C. pulcher* HISINGER.

- Tab. VII, fig. 5—7, 7 a—b. Tab. VIII, fig. 1—9 a. Tab. XVII, fig. 1, 1 a—d. Tab. XXV, fig. 8—20.
 1840. *Cyathocrinus pulcher* HIS., Leth. Suec. Supplementum secundum, p. 6. Tab. XXXIX, fig. 5 a—b.
 1854. *Anthocrinus Lovéni* JOH. MÜLLER, Abh. d. Ak. der Wissenschaften zu Berlin f. 1853, p. 192. Taf. VIII.
 Loc. nat. Alnäse (Fårö), Follingbo et Endre, Klinteberg, Gotlandiæ, frequens. M.R.

175. *C. superbus* ANG.

Tab. XVII, fig. 2, 2 a—b.

Assulæ læves margine crenulato. Long. calycis 27 millim., latitudo 36 millim. — Loc. nat. Klinteberg Gotlandiæ. M.R.

SECTIO IV. POLYMERA.

FAM. I. POLYPELTIDÆ.

Gen. **Polypeltes** ANGELIN.

(Πολύς, multus, πέλις, scutulum).

Corpus latum, cyathoideum, assulis numerosissimis. Basalia plura, humilia, minimum octo. Parabasalia sedecim, altiora, inæqualia. Radialia primaria decem (?), axillaria. Brachia decem (?) multoties dichotoma, digitis fulminatis, articulis tenuissimis, crebris, pinnulis longis. Interradialia numerosa, longa serie superne duplicata. Interaxillaria uniseriata. Columnæ articuli ex anulis duobus: exteriori tenui, lævi, interiori maximo radiato, foramine magno obscure quinquelobo; extus cirrhiferi.

176. **P. granulatus** ANG.

Tab. XXIV, fig. 2—3.

Assulæ læves. Articuli digitorum subgranulosi. Long. corporis manci 52 millim., latit. 50 millim. — Loc. nat. Visby et Follingbo Gotlandiæ. M.R.

II. CYSTIDEA.

Nominum genericorum exitus in ites, regno lapideo principio proprius, regno animali alienus.

I. APORA.

Gen. *Echinosphæra* WAHLENBERG.

1740. *Kalkbollar* TILAS, K. Vet. Akad. Handl., p. 196, t. II, fig. 18.
1772. *Echinus* GYLLENHAHL, K. Vet. Akad. Handl., XXXIII, p. 239, 253.
1821. *Echinosphærites* WAHLENBERG, Acta Upsaliensia, VIII, p. 52. — 1826. SCHLOTHEIM, Isis, p. 309. — 1830. PANDER, Beiträge, p. 144 (ex parte). — 1845. DE VERNEUIL, Russia, II, p. 20, (e. p.). — 1846. VOLBORTH, Verhandl. Russ. Min. Ges., sep. p. 9, (e. p.). — 1854. JOH. MÜLLER, Ueber den Bau der Echinodermen, sep. p. 60. — 1860. EICHWALD, Lethæa Rossica, I, p. 625.
1825. *Leucophthalmus* CH. KÖNIG, Icones Fossilium Sectiles, I, t. I, fig. 1. *Bolteniæ* ex Ascidiarum ordine comparatur.
1828. *Sphæronites* HISINGER, ex parte, Anteckningar, IV, p. 195, 198. — 1837. Lethæa suecica, p. 91. — 1840. v. BUCH, Beiträge, Kästners Archiv, XV, p. 27. — 1840. EICHWALD, Sil. Sch. Esthl., p. 187. — 1843. LEUCHTENBERG, Thierreste, p. 21. — 1844. v. BUCH, Berl. Ber., p. 126. — 1845. Ueber Cystideen, sep. p. 14. — 1848. FORBES, Mem. geol. Surv. II, II, p. 516.

Corpus globosum, sessile. Os superum collo suffultum brevi. Apertura genitalis propinqua. Apertura analis remota, valvis clausa quinque l. sex. Assulæ numerosæ, mediocres, plurimum hexagonæ, læves, striis internis parallelis tenuibus radiatæ, triangulos centro conniventes formantibus, in assulas contiguas per transversum productis.

1. *E. aurantium* GYLLENHAHL.

Tab. XIV, fig. 1—21; tab. XXVIII, fig. 9, 9 a.

1772. *Echinus aurantium* GYLLENHAHL, l. c. p. 245, t. VIII, fig. 4, 5; t. IX, fig. 6—9.
1821. *Echinosphærites aurantium* (GYLL.) WAHLENBERG, l. c. p. 52. — 1830. PANDER, l. c. p. 144, t. II, fig. 21; t. XXIX, fig. 2, 3. — 1845. DE VERNEUIL, l. c. p. 20; t. I, fig. 8, a, b; t. XXVII, fig. 6, a, b. — 1846. VOLBORTH, l. c. p. 9; t. IX, fig. 4—9, 11—16. — 1854. JOH. MÜLLER, l. c., sep. p. 60; t. VI, fig. 2, 3. — 1860. EICHWALD, l. c. p. 625.
1826. *Echinosphærites alcyonium* SCHLOTHEIM, l. c. p. 309, t. I, fig. 2, et *E. ovum* SCHLOTH., ib. p. 312; t. I, fig. 4.
1828. *Sphæronites aurantium* HIS., l. c. p. 195, 198. — 1840. v. BUCH, Beitr. l. c. p. 27, t. I, fig. 14. — EICHWALD, l. c. p. 187. — 1843. LEUCHTENBERG, l. c. p. 21, t. II, fig. 17, 18. — 1845. v. BUCH, l. c. t. I, fig. 21, 22. — 1848. FORBES, l. c. p. 516, t. XXII, fig. 1.
1837. *Sphæronites citrus* HIS., Lethæa suecica, p. 91, t. XXV, fig. 8 a (columna aliena?), b, c. — an: 1834. *Echinosphærites? citrus* KLÖDEN, Verstein. d. Mark-Brand., p. 243?
Long. usque ad 90 millim., lat. ad 80 millim. — Loc. nat. Vestrogothia, Dalecarlia. M.R.

Gen. *Caryocystis* v. BUCH.

1802. *Echinus* HISINGER, K. Vetensk. Akad. Handl., p. 189.
1818. *Echinosphærites* WAHLENBERG, Acta Upsal. VIII, p. 53.
1828. *Sphæronites* HISINGER, Anteckningar, IV, p. 197.
1844. *Caryocystites* v. BUCH, Berl. Ber., p. 128. — 1845. Ueber Cystideen, Berl. Abhandl., sep. p. 17.

Corpus ovato-globosum l. oblongum, sessile. Os superum. Apertura genitalis propinqua. Anus remotus. Assulæ magnæ plurimum hexagonæ, striis parallelis insigniter radiatæ in triangulos versus centrum conniventes dispositis, et in assulas contiguas continuatis.

2. *C. granatum* WAHLENBERG.

Tab. XII, fig. 27—29; tab. XIII, fig. 14—16; tab. XIV, fig. 22—28.

1802. *Echinus novus* HISINGER, l. c. p. 189, t. 7, fig. 6.
 1818. *Echinosphærites granatum* WAHLENBERG, p. 53. — an: 1834. KLÖDEN, Versteinerungen Mark-Brandenburgs, p. 242 ?
 1828. *Sphæronites granatum* (WAHL.) HISINGER, l. c., IV, p. 197, t. V, fig. 1, figura mala, magis in *C. geometricam* n. quadrans. — 1837. id. l. VI, p. 115, t. VIII, fig. 1, figura bona.
 1837. *Sphæronites testudinarius* HIS., Lethæa Suec., p. 92, t. XXV, fig. 9 *a, b, c*, non vero fig. 9 *d*, ad *C. testudinariam* (HIS.) v. BUCH referenda.
 1844. *Caryocystites granatum* (WAHL.) v. BUCH, ex parte, Berl. Ber., p. 128. — 1845. Ueber Cystideen, sep. p. 17, t. II, fig. 4. Obs. Tab. I, fig. 8—10 non huc pertinent; specimen e Dalecarlia.

Corpus oviforme l. globosum. Os sub-triquetrum. Anus superus, prominulus, valvis quinque. Basis foramen præbens pentagonum, margine elato-tumidulo. Assularum striæ validæ, crassæ. Long. 40 millim.; lat. 30 millim. — Loc. nat. Böda Oelandiæ, Dalecarlia. M.R.

3. *C. testudinaria* (HIS. ex parte) v. BUCH.

Tab. XIII, fig. 4—9.

1831. HISINGER, Anteckningar, V, p. 106, t. VII, fig. *a, a*, obs. figuræ inversæ.
 1837. *Sphæronites testudinarius* HISINGER, Lethæa suecica, p. 92, t. XXV, fig. 9 *d*, inversa, excl. cæteris figuris ad *C. granatum* spectantibus.
 1844. *Caryocystites testudinarius* (HIS.) v. BUCH, Berl. Ber., p. 129. — 1845. Ueber Cystideen, sep. p. 19, t. I, fig. 20.

Corpus elongatum, medio inflatum, superne subcylindricum, inferne attenuatum, acuminatum. Os angustum, labiis subparallelis utrinque incrassatis. Apertura genitalis valvis convexis sex tecta. Anus pentagonus l. hexagonus, lateralis, ad tertiam partem longitudinis l. infra situs. Assularum striæ tenues. Foramen basale perminutum. Long. 90 millim. — Loc. nat. Böda hamn Oelandiæ. M.R.

4. *C. dubia* ANG.

Tab. XIX, fig. 17, inversa.

Corpus elongatum, medio inflatum, inferne attenuatum, superne . . . ?. Assulæ sat magnæ jugis crassis radiatæ, striis tenuibus. Anus supra gibbum medium situs, pentagonus, valvis tectus quinque. Long. 13 millim. + 5?, ideo ca 18 millim. — An *C. testudinaria* junior? — Loc. nat. verosimiliter Oelandia. M.R.

5. *C. alutacea* ANG.

Tab. XIII, fig. 10—13.

Corpus ovato-oblongum, regione anali gibba, ano supero. Assulæ magnæ, plurimum hexagonæ, subumbonatae, medio jugis sex radiatæ, verruculatae, juxta margines striis densis parallelis signatae, verruculis ibidem in lineas suturæ transversas formati. Long. 50 millim., lat. max. 30 millim. — Loc. nat. Jonstorp Vestrogothiæ. M.R.

6. *C. prominens* ANG.

Tab. XII, fig. 18—21; tab. XXVII, fig. 12; tab. XXVIII, fig. 11.

Corpus globosum, leviter compressum. Os angustum, elongatum, marginibus elatis. Regio analis modice gibba; anus valvis sex tectus. Assulæ umbonatae, striis tenuissimis. Long. 33 millim., lat. 32 millim. et 27 millim. — Loc. nat. Dalecarlia. M.R.

7. *C. ovalis* ANG.Tab. XXVII, fig. 11, *a, b*.

Corpus oviforme, leviter compressum. Os subpentagonum. Regio analis prominula. Assulæ magnæ tumidulæ, tenuiter striatæ. Long. 41 millim.; lat. 35 millim. et 29 millim. — Loc. nat. Jonstorp Vestrogothiæ. M.R.

8. *C. tenuistriata* ANG.

Tab. XII, fig. 25, 26.

Corpus ovatum, leviter compressum. Os productum, subpentagonum. Apertura analis magna, elongata, protuberans. Assulæ vix umbonatae, striis tenuibus. Long. 37 millim., lat. 27 millim. et 21 millim. — Loc. nat. Jonstorp Vestrogothiæ. M.R.

Gen. *Megacystis* HALL.

1861. *Caryocystites* (v. BUCH) HALL, Annual Report Geol. Survey Wisconsin, p. 23. — 1862. Geol. of Wisconsin, I, p. 69.
 1864. *Holocystites* HALL, Twentieth Report on State Cabinet of New York, p. 311.
 1865. *Megacystites* HALL, ib. p. 380.

Corpus oblongum assulis tectum inæqualibus hexagonis l. polygonis. Aperturæ duæ apicales, centralis et excentrica. Pedicellus brevis. Brachia libera ignota, sessilia nulla. Rhombi pectinati nulli. (HALL).

9. *M. alternata* HALL, var.

Tab. XIX, fig. 19, 20.

1864. *Holocystites alternatus* HALL, l. c. p. 312, t. XII, fig. 9. ?

Corpus curvatum? Assulæ verruculis notatæ nonnullis vix prominulis, aliis numerosis immersis translucen-
bus. — Loc. nat. Kinnekulle Vestrogothiæ? M.R.

10. *M. ovalis* ANG.

Tab. XXVII, fig. 13.

Corpus oviforme. Assulæ subæquales, striis radiatæ rhombos formantibus. Forma dubia; an hujus generis? —
Loc. nat. Dalecarlia. M.R.

II. GEMELLIPORA.

Gen. *Sphæronis* HISINGER, JOH. MÜLLER.

1745. *Kryställäpple, Pomum crystallinum*, LINNÉ, Öländska och Gothländska Resan, p. 136, 156. — 1746. KALM, Västgötha Resan, p. 28.
1748. *Aetites* LINNÉ, Syst. Nat., ed. sexta, Regn. lapid., p. 193, N:o 5. — 1753. Mus. Tessinianum, p. 80, N:o 4. — 1768. Syst. Nat., ed. duodecima, III, p. 179, N:o 4.
1758. *Crystalli spatiosi pyramidales concreti* CRONSTEDT, Försök till Mineralogie, p. 15.
1772. *Echinus* J. A. GYLLENHAHL, K. Vetenskaps Akademiens Handlingar, XXXIII, p. 239.
1818. *Echinosphærites* WAHLENBERG, Petrificata telluris suecanæ. Acta Societatis regiæ scientiarum Upsalien-
sis, VIII, p. 54.
1828. *Sphæronites* HISINGER, Anteckningar i Fysik och Geognosi, IV, p. 195. — 1837. Lethæa Succica, p. 91. — 1840. v. BUCH, Beiträge z. Bestimmung d. Gebirgsformationen in Russland, Kästners Archiv f. Mineralogie, Geognosie etc., XV, p. 24. — 1844. Berl. Bericht, p. 126. — 1845. Ueber Cystideen, Ab-
handl. Akad. Berlin 1844, p. 16. — 1854. JOH. MÜLLER, Bau d. Echinodermen, ib., p. 66.

Corpus subglobosum l. subovale, sessile, basi corporibus alienis adnatum, constat ex assulis scrobiculatis; scrobiculæ l. cancelli omnes poris binis perforati. Area ambulacralis pentagona, vallo circumdata; paria brachiolorum quinque. Os rimæforme et anus contigui, apicales; canales ambula-
crales quinque ab ore ad basin brachiolorum ducti. Apertura genitalium lateralis, inter os anumque, valvulis tecta.

11. *S. pomum* GYLLENH.

Tab. XI, fig. 11, 12; tab. XXVII, fig. 14–16 (var.); tab. XXVIII, fig. 10, 10 a, 10 b.

1772. *Echinus pomum* J. A. GYLLENHAHL, l. c. p. 242 et 253, t. VIII, fig. 1–3.
1818. *Echinosphærites pomum* WAHLENBERG, l. c. p. 54.
1837. *Sphæronites pomum* HISINGER, Lethæa, p. 91, t. XXV, fig. 7: repetitio fig. 2 GYLLENHAHLI. — 1840. v. BUCH, Beiträge etc. l. c., p. 24, t. I, fig. 15, 16: repetitiones fig. 2, 3 GYLLENHAHLI; fig. 17. — 1844. Berl. Be-
richt., p. 127. — 1845. Ueber Cystideen, p. 16. — 1854. JOH. MÜLLER, Bau d. Echinodermen, p. 66.

Corpus subglobosum, assulis centro gregatim cancellatis echinatisque, suturis lævissimis. — Loc. nat. Strata
regionis Asaphorum; Kinnekulle Vestrogothiæ. M.R.

12. *S. globulus* ANG.

Tab. XI, fig. 7–10.

Corpus subglobosum. Assulæ numerosæ totæ dense cancellatæ, læves l. muticæ. — Loc. nat. Oelandia, ad
Böda Hamn, in stratis Asaphorum. M.R.

13. *S. ovalis* ANG.

Tab. XI, fig. 13–16.

Corpus oviforme. Assulæ numerosæ, totæ læves l. muticæ, pentagonæ, hexagonæ, poris subradiantibus exiguis
creberrime cancellatæ. — Loc. nat. Strata Asaphorum Dalecarliæ. M.R.

14. *S. oblonga* ANG.

Tab. XI, fig. 17, 18.

Corpus oblongum. Assulæ læves, poris elongatis, distinctis, subradiantibus. — Loc. nat. Östbjörka Dalecarliæ. M.R.

15. *S. minuta* ANG.

Tab. XI, fig. 21, 22.

Corpus globoso-pyriforme. Assulæ læves, poris subradiantibus. — Loc. nat. Fjecka Dalecarliæ. M.R.

16. *S. uva* ANG.

Tab. XI, fig. 23, 24.

Corpus subglobosum. Assulæ læves, poris elongatis, subseriatis. — Loc. nat. Dalecarlia. M.R.

17. *S. ? dalecarlica* ANG.

Tab. XXVII, fig. 9; fig. 10 fragmentum columnæ cum hac specie occurrens.

Corpus validum, depressum (?). Assulæ muticæ, poris minutis, creberrimis, subradiantibus. Species valde dubia, forsan Glyptosphæra. — Loc. nat. Dalecarlia. M.R.

18. *S. sulcifera* ANG.

Tab. XI, fig. 19, 20.

Corpus oviforme. Pori minuti elongati. Pone aperturam analem sulci circ. novem distincte exarati breves, radiantés. — Loc. nat. Boda l. Arfvét Dalecarliæ. M.R.

Gen. *Eucystis* ANGELIN.

Corpus oviforme, sessile. Anus ori propinquus; exeunt e quoque angulo oris canales lineares breves, ramulos secundos emittentes, apice tuberculiferos. — Genus Glyptosphærae affine.

19. *E. raripunctata* ANG.

Tab. XI, fig. 25—28.

Corpus oviforme. Assulæ læves. Pori rariusculi. — Loc. nat. Osmundsberget Dalecarliæ. M.R.

Gen. *Glyptosphæra* JOH. MÜLLER.1841. *Sphaeronites* EICHWALD, Sil. Sch. Esthlands, p. 189, non HISINGER. — 1843. LEUCHTENBERG, neue Thierreste, p. 23, t. II, fig. 19. — 1846. VOLBORTH, Verh. Russ. Min. Ges., sep. p. 27, non HISINGER.1854. *Glyptosphaerites* JOH. MÜLLER, Ueber den Bau d. Echinod., p. 66.

Corpus globosum. Os quinquevalve, apertura pentagona; e quoque angulo orali exeunt, versus latera corporis, canaliculi quinque ambulacrales, alternatim alios canaliculos, breviores utrinque emittentes, apice tuberculiferos; anus remotus, sub-lateralis.

20. *G. suecica* ANG.

Tab. XI, fig. 5—6.

Corpus læve, scrobiculis assularum e centro subradialibus. — Loc. nat. Dalecarlia. M.R.

Gen. *Gomphocystis* HALL.1868. *Gomphocystites* HALL, Twentieth Report on State Cabinet New York, p. 309.

Corpus clavatum, parte dorsuali valde elongata, attenuata, ventrali brevi, latiore, convexa. Os centrale canales emittens quinque ambulacrales, spirales, simplices. Anus ori propinquus. Pori interradiales geminati.

21. *G. gotlandica* ANG.

Tab. IX, fig. 20. magn. aucta.

Pars ventralis sola nota; affinis *G. tenaci* HALL, l. c. t. 12 a, fig. 2. — Loc. nat. Lansa in Fårö Gotlandiæ. Exemplum delineatum e collectione L. FEGREI.

III. PEDICELLATA; RHOMBIFERA.

Gen. *Glyptocystis* BILLINGS.1842. *Cyathocrinites* EICHWALD, Umwelt Russl. II, p. 78.1843. *Gonocrinites* MAX v. LEUCHTENBERG, Thierreste von Zarskoje-Zelo, p. 19, t. 2, fig. 13.1854. *Glyptocystites* BILLINGS, Canadian Journal, II, p. 215. — 1858. Canadian organic remains, III, p. 54. — 1874. FRIEDR. SCHMIDT, Mém. Acad. Petersbourg, ser. 7, XXI, N:o 11, p. 8.1856. *Cheirocrinus* EICHWALD, Bull. Moscou, I, p. 123. — 1860. Lethæa Rossica, I, 1, p. 645. — non: 1859. SALTER, Siluria, ed. 3, p. 535.

Corpus oblongum. Columna articulata, basin versus attenuata. Calyx, assulis compositus definitis, figuris rhombeis pectinatis ornatus. Os centrale canaliculos emittens quinque ambulacrales, utroque margine scutis munitos tuberculatis, ad brachiola recipienda. Anus lateralis ab ore remotus.

22. *G. Leuchtenbergi* ANG.

Tab. XII, fig. 13—15.

Assulæ læves, jugis sex radiatæ, rhomborum lineis tenuissimis, rectis. — Loc. nat. Husbyfjöl Ostrogothiæ. M.R.

Gen. *Lepadocrinus* (CONRAD), HALL.

1840. *Lepocrinites* CONRAD, Third annual report on the paleontological department of the Geological Survey of New York, Jan. 24, 1840, p. 207. — 1842. VAN UXEM, Nat. Hist. of New York, part. IV, Geology, vol. III, Third district, p. 117, fig. 4. — 1842. MATHER, ib., Geology, I, First district, p. 346, 347, fig. 4, 5. — 1871. MEEK, Amer. Journ. Sc. and Arts, 3d ser. II, p. 296. — 1873. Id., Geol. Survey of Ohio, I, II, p. 39, t. 3, fig. 4 a.
1842. *Pseudocrinites* PEARCE, Proc. Geol. Soc., IV, p. 160. — 1848. FORBES, Mem. Geol. Survey, II, II, p. 494, t. XI—XIV,
1852. *Apiocystites* (FORBES) HALL, Natural History of New York, Part. VI, Paleontology, vol. II, p. 242, t. III, fig. 1—17. An *Apiocystites* FORB.?
1859. *Lepadocrinus* (CONRAD) HALL, Natural History of New York, Part. VI, Paleontology, vol. III, p. 125, t. VII, fig. 1—23.

Corpus oblongum. Columna breviuscula articulata, basin versus perangustata. Calyx, ex assulis definitis irregularibus, figuris rhombeis pectinatis sex, per paria tria dispositis, ornatus. Os centrale, apicale, latera versus emittens canaliculos quatuor ambulacrales, margine utrinque scutis munitos tuberculatis, ad brachiola recipienda, forsitan ut articuli basales æstimandis, deciduis. Anus lateralis, ori propinquus, valvulis tectus.

23. *L. Gebhardi* CONRAD.

Tab. XI, fig. 29—35; tab. XIX, fig. 18, a, b, c.


1840. *Lepocrinites Gebhardi* CONRAD, l. c. p. 207. — 1842. VAN UXEM, l. c. p. 117, fig. 4. — 1842. MATHER, l. c. p. 346, 347, fig. 4, 5.
1848. *Pseudocrinites oblongus* FORB., Mem. Geol. Survey, II, II, p. 499, t. XIV.
1859. *Lepadocrinus Gebhardi* (CONRAD) HALL, l. c. p. 127, t. VII, fig. 1—23.

Corpus ovale l. oblongum, læve l. rugis ornatum concentricis, interdumque radiantibus. — Loc. nat. Lau Gotlandiæ. M.R.

EXPLICATIO TABULARUM.


Tab. I.

- Fig. 1. *Callicrinus Rœmerianus* ANG. magn. nat., cum sectione columnæ, pag. 15.
 2. » » Analysis calycis.
 2 b. » » Assula radialis intermedia.
 2 c. » » Assula interradians a latere exteriori et interiore.
 3. *Callicrinus Murchisonianus* ANG. Calyx et alveolus infundibuliformis subtus visi. m. n., p. 15.
 3 a. » » Spinæ radialium inferiorum a latere exteriori et interiore, m. n.
 3 b. » » Spinæ interradians eodem modo visæ, m. n.
 4. *Callicrinus Koninckianus* ANG. Calyx subtus visus, p. 15.
 4 a. » » Aliud specimen a latere.
 5. *Callicrinus Sedgwickianus* ANG. Calyx subtus visus, m. n., p. 15.
 6 a. *Callicrinus costatus* HIS. Assula radialis primaria, p. 15.
 6 b. » » Varietas ejusdem.
 6 c. » » Assula distichalis inferior.
 6 d. » » — — superior.
-




Tab. II.

- Fig. 1. *Callicrinus costatus* HIS. Corpus cum brachiis, p. 15.
2. » » Idem brachiis destitutum.
- 2 a. » » Foramen tubi ventralis.
- 2 b. » » Calyx subtus visus.
- 2 c. » » Conus calycis basalis, e basalibus quatuor connatus nec non radialibus inferioribus retroflexis.
- 2 d. » » Ejusdem coni analysis.
3. » » Analysis corporis.
4. » » Analysis perisomatis ventralis.
- 5, 5 a. » » Varietas. Calyx subtus visus.
6. » » *Beyrichianus* ANG. Calycis fragmentum magn. nat., p. 15.
-




Tab. III.

- Fig. 1. *Gissocrinus arthriticus* PHILL. a latere anali cum fragmento columnæ, p. 10.
 2. » » Aliud specimen a latere dorsuali magn. aucta.
 3. » » Idem a latere anali.
 4. » *tubulatus* ANG. Corpus a latere anali magn. aucta, p. 11.
 5. » *elegans* ANG. Corpus magn. parum aucta, p. 10.
 5 a. » » Assulæ calycinæ interradales duæ et radialis primaria una, magn. valde aucta.
 5 b. » *arthriticus* PHILL. Corpus a latere dorsuali m. n.
 6. *Cyathocrinus distensus* ANG. a latere dorsuali, p. 23.
 6 a. » » Idem subtus visus.
 7. *Habrocrinus cariosulus* ANG. a latere dorsuali, p. 3.
 7 a. » » Membrana interna cribrosa.
 8. *Abacocrinus Cappelleri* ANG. a latere anali, p. 19.
 8 a. » » a latere dorsuali.
 9. *Pionocrinus pulchellus* ANG., p. 5.
 9 a. » » a latere anali.
 10. *Calpiocrinus heterodactylus* ANG., p. 12.
 10 a. » » a latere anali.
-




Tab. IV.

- Fig. 1. *Pisocrinus flagellifer* ANG., p. 21.
- 1 a. » » a latere anali.
- 1 b. » » Calyx subtus visus.
- 1 c. » » a latere dorsuali.
- 1 d. » » Calyx alius speciminis a latere.
- 1 e. » » Idem subtus.
2. » *ollula* ANG., p. 21.
- 2 a. » » Idem a latere anali.
- 2 b. » » Idem subtus.
- 2 c. » » Idem superne visus.
- 2 d. » » Aliud specimen superne.
3. » *pocillum* ANG. Calyx cum fragmentis digitorum a latere dorsuali et sectione digitorum, p. 21.
- 3 a. » » Idem a latere ventrali.
4. » *pilula* DE KON. a latere, p. 21.
- 4 a. » » superne visus.
- 4 b. » » subtus.
5. *Barrandeocrinus sceptrum* ANG., p. 8.
- 5 a. » » Corpus sectum cum sectione columnæ.
6. *Cyathocrinus alutaceus* ANG. Calyx cum columna secta, p. 23.
- 6 a. » » Aliud exemplum a latere anali.
7. *Euspirocrinus spiralis* ANG. a latere anali, p. 24.
- 7 a. » » Idem a latere dorsuali.
- 7 b. » » Calyx alius exempli cum columna secta.
- 7 c. » » Idem a latere anali.
- 7 d. » » Calyx superne visus.
- 7 e. » » Aliud exemplum ejusdem.
8. *Ophiocrinus crotalurus* ANG. Corpus cum fragmento columnæ a latere anali, p. 24.
- 8 a. » » Idem brachiis destitutum cum columna secta et canali ambulacrali.
- 8 b. » » Ejusdem tubus ventralis.
- 8 c. » » Aliud exemplum ejusdem.
9. *Sicyocrinus cucurbitaceus* ANG., p. 24.




Tab. V.

- Fig. 1. *Eucalyptocrinus ovatus* ANG. Corpus cum columna secta, p. 17.
 2. » » Apex perisomatis ventralis.
 2 a. » » Pars ejusdem ampliata.
 3. » *speciosus* ANG., p. 16.
 3 a. » » Analysis.
 4. » *decoratus* ANG., p. 17.
 4 a. » » Idem intus visus; radialia primaria et basalia in conum apice perforatum connata.
 5. » *excellentissimus* ANG., p. 16.
 6. *Barrandeocrinus sceptrum* ANG. Calyx brachiis orbatum cum columna et sectione ejusdem, p. 8.
 6 a. » » Analysis.
 7. *Eucalyptocrinus plebejus* ANG., p. 17.
-



Tab. VI.


- Fig. 1. *Hypanthocrinus minor* ANG., p. 17.
- 1 a. » » Apex perisomatis ventralis cum laminis interbrachialibus.
2. » *regularis* HIS., p. 17.
- 2 a. » » Apex perisomatis ventralis.
- 2 b. » » Analysis tubi ventralis.
- 2 c. » » Facies glenoidea articuli columellaris.
3. » *granulatus* LEWIS, p. 18.
- 3 a. » » Lamina interbrachialis.
- 3 b. » » Analysis calycis.
4. » » Varietas ejusdem speciei brachiis privata.
5. *Cyathocrinus zonatus* ANG., p. 22.
6. *Eucrinus interradialis* ANG. e parte anali, p. 25.
7. » *ornatus* ANG., p. 25.
- 7 a. » » Idem e latere anali.
- 7 b. » » Assulæ interradiales et radialis primaria, ampliata.
8. » *lævis* ANG. e latere anali, p. 25. } Ec. 10561
- 8 a. » » e latere dorsuali.
9. *Habrocrinus ornatissimus* ANG., p. 3.
-



Tab. VII.



- Fig. 1. *Enallocrinus scriptus* HIS., p. 25.
 1 a. » » Sectio columnæ.
 2. » » Idem, varietas.
 3. » » Aliud specimen m. a.
 3 a. » » Pars perisomatis ventralis.
 4. *Crotalocrinus rugosus* MILLER, junior, p. 26.
 5. » *pulcher* HIS. Corpus cum brachiis m. n., p. 26.
 6. » » Calyx.
 7. » » Fragmentum brachii a latere superiore.
 7 a. » » Calyx superne visus, cum parte brachii, magnitudine paullum aucta. Apparatus, quem consolidantem *) vocant, intus visus.
 7 b. » » Idem apparatus ampliatus.
 8. *Melocrinus Volborthi* ANG. junior, magn. parum aucta, p. 20.
 9. » » Latus anale, cum dorsualium uno.
 10. » » Latera dorsualia alia duo.
